sationis impetratione esse narranda, quæ jus aliquid, aut stylus curiæ, aut consuetudo narranda præscribunt. At circa votum nil præscribunt esse narrandum, & ideò ad hæc non confugitur ad discernendum, an dispensatio sit irrita ex veri taciturnitate, aut falsi expressione, sed ex generalibus juris principiis id discernendum est. Sicut hucusque fecimus. Et ita docet *Suarez tomo secundo de religione, tractatu de voto, l.6. c.ult. num.5.*

SUMMARIUM.

An ad dispensandum, irritandum, & commutandum exigatur certa verborum forma, nec sufficiat interna superioris voluntas? num.42.
An censeatur superior facto ipso dispensare, quando admittit aliquem ad actum, quem novit impeditum ad illum? n.43.
An idem sit in irritatione, & commutatione? n.44.
An taciturnitas superioris videntis violari votum, inducat dispensationem? Refertur quadam sententia, n.45.
Explicatur sententia Auctoris, n.46.
Quid in irritatione, & commutatione? n.47.

42 QUæstio posterior. An ad dispensationem exigatur voluntas superioris, aliqua verborum forma declarata, nec sat sit nutibus, aut facto ipso; & idem ad irritationem, & commutationem? Constat hac in re non sufficere internam superioris voluntatem ad dispensationem, nec eam aliqua verborum forma indigere, sed satis esse eam subdito innotescere verbis quibuscumque, aut aliis signis sufficientibus. Prior pars constat, quia voluntas humana nequit erga homines operari, nisi illis innotescat. Posterior etiam pars constat. Quia nullo jure certa verborum forma præscribitur. Et hoc constat ex multis Auctoribus, quos retuli *lib.8. de matrim. disp.4. n.17.* dicentibus posse superiorem solo facto dispensare. Et tenet *Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto, libro 6. cap. finali, numero ultimo.* Atque idem dicendum est ob eamdem rationem de irritatione, & commutatione, nullis enim peculiaribus verbis indigent, sed sufficit ea quibusvis verbis, aut signis nota fieri subdito.

43 Sed difficultas grauis est, an prælati dispensare potentes censeantur facto ipso dispensare, quoties admittunt ad aliquem actum eum, quem sciunt impedimentum juris habere ad illum. Ut si admittunt matrimonium eum, quem sciunt votum abstinendi ab illo emisisse. De hac quæstione latissimè egi *lib.8. de matrim. disput.4.* ubi variis sententiis relatis, quibusdam id soli supremo principi concedentibus, & cum quibusdam limitationibus; tandem à *num.13.* usque *ad 18.* latè probaui id quoque verum esse in inferioribus, siue dispensent in propriis legibus, siue in lege superioris, in qua dispensare valent, siue in voto, & juramento obligantibus jure naturali. Quod ultra Doctores *ibi num. 17.* allegatos, tenent *Sylvest. verbo Votum 4. quæst.8. Sayro in clavi regia, lib. 6. cap.11. num.113. & 114.* & quamuis *eo num.113.* id limitet verum pro solo conscientiæ foro; at verius est in utroque foro verum habere; si tamen pro foro externo probetur legitimam adfuisse causam, quando ea dispensationis valor indiget. Ut si esset in lege superioris, aut in voto, aut in juramento. At in foro conscientiæ valere probaui *ibi* nulla causæ cognitione præmissa, si re vera erat causa. Hoc enim sat esse probaui *hoc lib.4. cap.45. num.6.* Et ex multis rationibus, quas ad hoc probandum *ibi* attuli, unam, vel alteram afferam. Et ratio est, quia cum possit superior impeditum, verbi gratia, voto non ineundi matrimonii admittere, licitè ad matrimonium dispensando cum illo, & ad ordines, tollendo irregularitatem, qua erat affectus, non est præsumendum, velle eum cum peccato admittere, cum in omnibus personis præsumptio peccati vitanda sit, *l. Merito, ff. pro socio*, nedum in prælato. Ergo per illud factum satis indicat suam dispensandi voluntatem; & cum hæc nulla præscripta verborum forma indigeat, sed contenta sit, qualitercumque exprimatur voluntas interna, erit legitima dispensatio. Secundò, quia etsi non vitetur peccatum in superiore dispensante absque prævia causæ cognitione, quando ea est necessaria; at etiam delinquit admittens impeditum ad matrimonium, vel ad ordines, nisi cum eo dispenset. At hæc delicta posteriora sunt longè graviora priori, ut ex se constat. Et sicut in actu, qui potest exerceri cum peccato, & sine illo, recipienda est præsumptio excludens peccatum, ita in actu, qui sine peccato fieri nequit, & potest fieri cum majori, vel minori, recipienda est præsumptio excludens gravius peccatum, *l. Si adulterium cum incestu, §.1.2. & 3. ad l. Juliam de adulteriis.*

44 Atque idem dicendum est in irritatione, si superior irritans norit se irritare posse, & impedimentum voti subditi, & sciens illum admittat ad actum contra id votum. Quia militat prorsus eadem ratio tradita *numero præcedenti*. In commutatione autem non est idem dicendum, cum oporteat aliam loco materiæ promissæ æqualem materiam subrogare. Quod fieri nequit solo facto admissionis ad actum contra votum.

45 Rursus difficultas est. An sola patientia, seu taciturnitas superioris videntis subditum jure impeditum, ut voto, vel alio impedimento, in quibus ipse dispensare potest, exercere ea sibi interdicta, scientisque subditum non obtinuisse dispensationem, censeatur tacita dispensatio. Quidam negant; quos, & eorum fundamentum retuli *lib.8. de matrimonio, disp.4. num.25.* & tenet *Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto, lib.6. c. finali, in fine*: imò addit idem esse, etsi superior inuitet subditum ad ludendum contra votum. Et neutrum ratione aliqua probat.

46 At *ibid. n.26.* probaui esse tacitam dispensationem, si prælatus ille cum facilè contradicere possit, non contradicat; & hoc etiam, quando actus ille est contra superioris legem, & votum, in quibus dispensare potest. Et ultra Doctores *ibi* relatos tenent idem loquentes de voto, *Sylvester, & Sayro* relati *n.43.* Et ratio est, quia cum prælato ex officio incumbat delictis subditorum obviare; cum ea videt, ac facilè obviare potest, præsumeretur gravissimum prælati delictum non contradicentis, nisi ipsum censeri dispensare dicamus. Et confirmatur, quia ratione solius præsumptionis delicti vitandi in quocumque homine præsumebat jus præsumptione juris, & de jure, copulam secutam post sponsalia de futuro haberi affectu conjugali, & ideò perficere matrimonium, *c. Is quis fidem, de sponsal.* nedum ea dispensandi voluntas præsumenda erit in prælato, ad vitandam culpæ præsumptionem. Tandem, quia illam taciturnitatem, quæ est ratihabitio de præsenti, aut præterito, censeri sufficientem ad conferendam audiendi confessiones jurisdictionem, probavimus *libro 3. de matrimonio, disputatione 35. num.20.* Fundamentum autem contrariæ sententiæ solui *eodem n.26.*

47 Atque de irritatione idem est dicendum, quando superior novit votum, & scit se irritare posse, & irritando vitari illa peccata. Quia militat eadem ratio. At in commutatione locum habere nequit; ob ratione traditam *num.44.*

CAPUT XLVIII

A quo tempore dispensatio, commutatio, & irritatio voti prosint?

SUMMARIUM.

An dispensatio, commutatio, & irritatio voti prosint à tempore concessionis? Refertur quadam sententia, n.1.
Explicatur sententia Auctoris, n.2.
An sat sit fieri certiorem impetrantem per quacumque? n.3.
Quid, si privilegium concedatur per modum statuti, vel constitutionis? n.4.
An à tempore concessionis id operetur, ut posten revocari nequeat? num. 5.
An exigatur scientia privilegii, in cujus damnum cedit? n.6.
A quo tempore prosit privilegium impetratum per nuntium, aut procuratorem? Et an sufficiat principalem certiorem fieri per quemcumque? n.7.
Quid, si dispensatio per nuntium, aut procuratorem impetrata sit, ut contra aliquam legem liceat agere, an sufficiat tunc procuratori, aut nuntio intimari, & idem de irritatione, & commutatione? Refertur quadam sententia, n.8.
Explicatur sententia Auctoris, n.9.

1 DE hac quæstione latè egi *lib.3. de matrimonio, disput.* 36. agens de privilegiis in genere, & ideò brevi referam addendo aliqua ad præsens spectantia. Quidam opinantur dispensationem, & reliqua privilegia prodesse à tempore concessionis, nec exigi illorum notitiam in eo, cui conceduntur. Quos, & eorum fundamentum retuli ea *disput.36. n.1.* Atque idem dicerent de irritatione, & commutatione.

2 At dicendum omnino est, priuilegia, & dispensationes solùm prodesse, suumque effectum sortiri, à tempore, quo de illis certiores fiunt ii, quibus conceduntur. Quod multis textibus, & Doctoribus probaui *ea disputat. 36. num. 2.* & solvi fundamenta contraria *num. ultimo.* Et ultra Doctores *ibi* relatos tenet *Vasquez 1.2. qu.95. art.5. disput.156. c.4. num.30. & 31.* Et ratio est, quia privilegia, & dispensationes sunt quasi quædam donationes. Hæ autem non æquiruntur absenti ante acceptationem. Atque eadem ratio probat idem de commutatione, & à fortiori, cum, ut prosit commutatio, debeat subditus necessariò acceptare materiam subrogatam ex ejusdem voti obligatione. De irritatione autem non videtur eadem ratio, cum non sit tam beneficium ejus, cui votum irritatur, quàm actus dominii omnino independentis à subdito, & ideò effectum suum sortitur à tempore, quo superior irritavit, quamuis ut licitè virtute ejus vouens agat contra votum sic irritatum, opus sit in eo notitia irritationis.

3 Atque non satis est notitia privilegii, aut dispensationis habita à quocumque, ut si quidam tertius, qui casu audiuit, certiorem faciat cum, cui conceditur, sed oportet sit is, qui impetravit privilegium, aut procurator, nuntiusve ejus, aut concedentis privilegium, qui id intimat. Quod probaui *eadem disputatione trigesima sexta, numero septimo.* Quia hæc concessio privilegii est quædam donatio. Hæc autem ut efficax sit, & omnino valida, oportet ut per nuntium destinatum ad id intimetur. Juxta veriorem sententiam, quam

quam probaui *lib. 1. de matrimon. disput. 6. n. 3.* & debet intelligi, quando privilegium est motu proprio concessum, aut ad alterius, quàm ejus, cui conceditur, instantiam. Ut ampliùs explicabitur *nu. 7.* Atque eadem ratio idem probat in commutatione. At in irritatione satis est eam per quemcumque, qui casu audivit, intimari. Quia cum independenter a subdito sit suum effectum sortita, ut diximus *num. praecedenti*, solaque notitia ejus sit necessaria ad licitum usum, non est opus nuntio destinato ad intimandum, sed satis est habita ejus notitia a quavis persona fide digna. Ut in simili dicemus *num. 7.*

4 Limitatur primò hæc sententia, ut intelligatur de privilegiis concessis gratiosè, & per modum rescripti; secùs de concessis per modum statuti, & constitutionis. Hanc limitationem defendi *eadem disput. 36. nu. 3.* cum multis Doctoribus, contra alios *ibi* relatos.

5 Secundò limitatur ab aliquibus, ut prosit ante notitiam ejus privilegium, ad eum effectum, ut ex concessionis puncto nequeat a concedente revocari. Sic docent aliqui, quos retuli *eadem disput. 36. n.4.* Sed *ibi* reprobavi, & fundamentum eorum solvi, & dixi cum aliis posse revocari, antequam privilegiatus conscius ejus illud acceptet.

6 Tertiò limitatur, ut privilegium requirat ejus notitiam in persona privilegiata; secùs autem in eo in cujus damnum cedit. Quod probavi *eadem disput. 36. n. 5.*

7 Ultimò limitatur, ut privilegium non prosit ante ejus notitiam, quando motu proprio conceditur, vel ad instantiam alterius, quàm privilegiati, secùs si quispiam per suum procuratorem, aut nuntium impetret: tunc enim prodest a tempore, quo ejus concessio intimatur procuratori, aut ei nuntio. Quia ex eo quòd mittitur ille nuntius, aut procurator gratia impetrandæ dispensationis, gerit vices mittentis, ut nomine ipsius acceptet, & cum intimatur ipsi, censetur intimari mittenti. Hoc multis Doctoribus relatis probavi *lib. 1. de matrimon. disput. 6. nu. 29.* Atque idem tenet *Vasquez 1.2. quæst. 95. artic. 3. disput. 156. cap. 4. num. 30. & 31.* Et in hoc eventu ad licitum ejus dispensationis usum satis erit privilegiatum habere notitiam ejus privilegii, relatione cujusvis personæ fide dignæ, etsi non sit nuntius, aut procurator ejus, aut concedentis. Quia a tempore acceptationis per procuratorem, aut eum nuntium, fuit jam satis acceptata per ipsum impetrantem, solaque ad licitum usum desiderabatur notitia illius, quæ satis habetur a quavis persona fide digna. Atque idem prorsus dicendum est de commutatione, & a fortiori de irritatione.

8 Hoc tamen intelligit *Vasquez ibidem nu. 31. & 32.* ut intelligatur, quando privilegium non continet dispensationem in aliqua lege, concedens licentiam operandi contra illam. Ut si alicui petenti per nuntium suum, aut procuratorem privilegium, ne excommunicari valeat, id concedatur, nil valebit excommunicatio contra eum lata post privilegium intimatum nuntio, aut procuratori, quamvis privilegiatus is sit privilegii concessi ignarus. Secùs si id privilegium contineret dispensationem contra illam, licitè, & validè operari; tunc enim non est præsumendum Pontificem voluisse suo privilegio concedere, ut privilegiatus ante illius notitiam eo frui possit. Ut si privilegium sit dispensatio in voto, aut jejunio, aut ad ineundum matrimonium cum impedimento aliquo dirimente, non fruetur illo impetrans, antequam de illo certior fiat; quare matrimonium sic initum erit nullum. Duciturque, quia cum ea dispensatio concedatur privatæ personæ, ut licitè contra legem communem operetur, non censetur taliter concessa, ut prosit, antequam privilegiatus habeat ejus notitiam; ex eo enim solo tempore est licitus illabeat ejus notitiam; ex eo enim solo tempore est licitus illius usus, ac virtute illius contra legem communem operari. Atque ita Doctores omnes limitationis præcedentis loquuntur de privilegio, ut impetrans a nemine excommunicari valeat.

9 At potiùs placet limitationem traditam *num. 7.* habere etiam locum in hoc casu, & ideo suum effectum sortiri dispensationem concessam ad operandum contra legem communem a die concessionis intimatæ procuratori, aut nuntio impetrantis. Quia Pontifex respicit ea sola, quæ sunt per se, & concedit privilegia, juxta ipsorum naturam, quæ est, ut plenum valorem consequantur a tempore acceptationis, per se, vel per suum procuratorem, aut nuntium. At per accidens est abusus illius in impetrante, qui absque notitia illius eo abutitur. Sicut etiam peccaret post debitam notitiam utens illo, si immemor illius, aut credens non valere eo utatur. Et quamvis Doctores loquantur de privilegio, ut impetrans excommunicari nequeat, id gratia solius exempli apponunt, & doctrina, & ratio quam tradunt, est generalis omnibus privilegiis. Ut potest videri in *Sylvestro verbo privilegium, qu. ult.* ubi eam rationem tradit, cur privilegium vires suas habeat a tempore acceptationis ejus per procuratorem, aut nuntium, etsi lateat impetrantem. Quia (inquit) ex tempore acceptationis per hos, concurrunt voluntas concedentis, & impetrantis. Quæ ratio est universalis omnibus privilegiis. Præterea, quia etiam est illicitus usus privilegii, ut impetrans a nemine excommunicari valeat, quamvis a procuratore acceptatum sit, dum privilegiatum latet. Si enim eo medio tempore excommunicaretur, & fiscus privilegio ignorato a se, quamvis per procuratorem acceptato, non servaret excommunicationem, peccaret utique. Præterea, quia etiam matrimonium ordinatur ad licitum copulæ usum, & tamen valet initum per procuratorem, antequam conjux conscius sit acceptationis factæ a procuratore. Nec obstat ante hanc scientiam esse illicitum usum illius; id enim non ex parte matrimonii tunc verè initi provenit, sed ex illius ignorantia. Sed dices, nulli usui tunc esse privilegium, siquidem est illicitus usus illius. Respondeo in primis esse usui ad valorem actus, quando valor ab eo pendet. Præterea, etsi usus illius, verbi gratia, dispensationis in voto acceptatæ per procuratorem, sit illicitus ante ejus notitiam, non erit utique contra votum verum, utpote quod est jam dispensatione abolitum, sed contra conscientiam incertam cessationis obligationis voti; & ideò si fractio voti esset reservata, aut excommunicatione affecta, non clauderetur in ea id peccatum, sicut nec clauderetur peccatum, quod revera non esset contra votum, sed ex sola erronea operantis conscientia. Atque similiter est idem dicendum de commutatione, & irritatione voti sic impetratis.

De Votorum commutatione.

CAPUT XLIX.

An semper ad vota commutanda exigatur potestas Ecclesiastica? Et qualis illa sit? Et in quibus personis ordinaria reperiatur?

SUMMARIUM.

Explicatur ordo servandus, & quotupliciter fiat commutatio, n.1.
An commutatio in majus bonum exigat auctoritatem prælati? Refertur quadam sententia, n. 2. & 3.
Explicatur sententia Auctoris, n. 4.
Quid, si votum illud sit in tertii favorem? Remisseve, n. 5.
An promittens eleemosynam cuidam pauperi, possit alteri, vel sibi pauperiori conferre? n. 6.
Quid, si dubium sit, an commutatio sit in melius? n. 7.
Quid, si sit certitudo moralis majoris bonitatis? n. 8.
Solvuntur argumenta, n. 9.
Post num. 9. habes alia summaria.

1 IN tractatu hoc de votorum commutatione hic ordo servandus est. Primo loco agemus de potestate petita ad vota commutanda, & apud quos ordinaria sit, & de causa, ac materiæ subrogatæ æqualitate ad commutationem petitis, & quando defectu horum, aut ex vero tacito, aut falso expresso corruat commutatio. Secundo loco, ad quæ vota ea potestas ordinaria extendatur, & qualem subjectionem petat. Tertio loco, de potestate delegata per privilegia religionis, bullæ, vel jubilæi, aut quæcumque alia. Quarto loco de effectu commutationis erga votum, nempe, qualiter efficiat materiam subrogatam, & deleat omnino priorem, ita ut in nullo eventu prior obliget, nec liceat reditus ad illam. Tandem de praxi commutandi vota. Tripliciter potest commutari votum, nempe, in majus bonum, aut in bonum æquale, aut in minus. Et ideo triplex est disputanda quæstio. Prima, de commutatione in melius. Secunda, de commutatione in bonum æquale, aut minus. Ultima, quando exigatur potestas Ecclesiastica ad commutandum, & qualis sit illa, & in quibus personis sit ordinaria.

2 Quæstio prima. An ad commutanda vota in melius, exigatur aliqua prælati auctoritas, an potiùs propria voventis auctoritate commutari valeant? Quidam tradunt exigi prælati auctoritatem. Ducuntur primo, ex illo *Levitici c. ultim. Animal autem, quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit, & mutari non poterit, nec melius in malum, nec pejus in bonum.* Secundò, ex *c. Licet, de regularibus*, ubi non licet religioso professo transitus a laxiori ad strictiorem religionem, nisi petita superioris licentia. Cum tamen constet commutationem hanc esse in melius. Tertiò, ex *c. 1. de voto*, ubi Pontifex ait commutationem voti ab ejus, qui præsidet, arbitrio pendere. Quartò, quia nemo in propria causa est judex, nec potest uti potestate in seipsum; eo vel maximè, quòd privati jurisdictione prorsus careant. Quintò, quia promittens homini rem determinatam, non liberatur dando meliorem, *lib. 2. ff. si certum petatur.* Sextò, quia jejunium lege, aut sacramentali pœnitentia injunctum, nequit in melius auctoritate propria commutari. Tandem, quia mendax est, ac fidem frangit, qui rem promissam denegat, quantumvis meliorem redat. Et ideò hujus sententiæ videtur apertè *D. Thom. 4. dist. 38. q. 1. art. 4. q. ultim. in corpore*, ubi hæc ait: *Commutatio est quidam contractus, qui perfici nequit absque consensu utriusque partis, & ideò nequit fieri sine consensu ejus, qui vicem Dei gerit in terris. Quare si utrumque votum est compossibile, debet utrumque servari, nisi auctoritate superioris minus præcedens in votum majus commutetur.* Et in propriis terminis docent *Innocentius c. Pervenit, el 2. numero unico, de jureurand.* Et *ibi Joannes Andreas statim in principio, Floriensis num. 1. Antonius num. 5. Baldus num. 2. Ancharanus num. 1. Abbas num. 2. Henricus num. 1. Bellamera num. 2. Felinus num. 1. Alexander de Nevi num. 7. & 8. D. Bonavent. 4. d. 38. art. 2. qu. 2. & ibi Richardus art. 8. q. 1. Supplementum Gabrielis ibi q. 1. art. 5. ubi de*

de redemptione, & commutatione voti, versic. De voti redemptione, tit. X. & ibi Palacios disp. 3. columna 27. fol. 875. Sylv. verbo Votum 4. q. 7. dicto 2.

3 Limitant quidam ex his Doctoribus, nisi prius votum redditum esset illicitum, & noxium. Ita *Hostiensis, Joannes Andreas, & Ancharanus num.* 2. ubi eos retuli, *numero praecedenti*. Alii limitant, nisi votum seruati nequeat simul cum majori bono in quod commutatio fit; tunc enim dicunt posse votum in id melius commutari, secùs autem si utrumque impleri valeat. Ita *Antonius, Sylvest. Palacios* relati *num. praced.*

4 Sed dicendum est, nulla opus esse superioris auctoritate ad commutandum votum in rem manifestè meliorem, sed quemcumque posse propria auctoritate, sic commutare. Qualiter autem hoc majus bonum computandum sit, dicemus *c. 56. n.* 6. Probatur ex *c. Pervenit, el 2. de jurejurand.* ibi: *Promissum non infringit, qui illud in melius commutat*. Et ex *c. Scriptura, de voto*, ibi: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuum noscitur religionis observantiam commutare*. Ubi Pontifex nullum priuilegium religiosæ professioni indulget, sed hujus licitæ commutationis eam reddit rationem tamquam ex ipsa rei natura petitam, quòd fiat commutatio in id, quod euidenter est majus. Et ex *c. Licèt, de regul.* ubi licentia petita, etsi non obtenta, licet transitus à laxiori religione ad strictiorem, eò quòd sit ascensus ad perfectius bonum. Qua in commutatione nulla interuenit superioris auctoritas, siquidem velit nolit ille, licitus est transitus. Et ex *c. 1. de voto*, ubi dicitur à prælati arbitrio pendere, an peregrinatione promissa sit melior recompensatio, ac Deo gratior, consideratis circumstantiis personæ, loci, ac temporis. Hæc autem consideratio, & arbitrium in solo casu dubio sunt necessaria, ubi enim res est euidens, his non opus est. Ergo quando materia subrogata est manifestè melior consideratis omnibus circumstantiis, colligitur ex illo textu, nulla superioris auctoritate opus esse. Tandem quia de consensu creditoris potest unum pro alio rectè solui, *institut. Quibus modis tollitur obligatio, statim in principio*. At id distat inter Deum, & homines, quòd hi suam peculiarem utilitatem respiciant, & interdum suam voluntatem, & aliquando est in illis pro ratione voluntas. Atque ideò hominibus non satisfit reddendo rem præstantiorem pro alia, quia sæpè minùs præstantem malunt: at abundantiùs illis sic satisfieret, si de consensu eorum constaret. Deum autem constat semper malle id, quod apertè præstantius est. Ergo abundanter satisfacit promissioni debitę ipsi per votum soluens rem apertè præstantiorem. Quare hæc commutatio non est actus judicii, & jurisdictionis, sed quædam abundantior voti solutio ex creditoris consensu facta. Et ideò hujus sententiæ videtur *D. Thom. 2. 2. q. 88. art.* 12. quatenus ea ratione probat in votorum commutatione exigi prælati authoritatem, quòd oportet in hac commutatione determinare, quid sit Deo acceptius: quod ex Dei arbitrio pendet, cui votum factum est: & ideò (inquit) ad prælatum vices Dei gerentem spectat id determinare. Ex qua ratione colligitur, tunc tantùm opus esse hac prælati determinantis auctoritate, quando non constat, qui Deo acceptius sit. Et in propriis terminis eam sustinet *Imola c. Pervenit, el 2. num. 2. de jurejurand. Major in 4. dist.* 38. *q.* 3. *columna* 3. *versic. Tertiò arguitur, & ibi Bachonus quæst.* 5. *art.* 6. *Angelus verbo Votum* 4. *numero* 2. *in fine, Cajet.* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *paulo post principium, & in summa, verbo Votum c. ultimo, versic. Rationabilis autem, Armilla ibi n.* 14. *Lex regia* 7. *tit.* 8. *part.* 1. *Abulensis c.* 30. *Num. quæstion.* 110. *Sotus lib.* 7. *de justitia quæst.* 4. *art.* 3. *columna secunda, versic. At de commutatione, Navarr. summa Latina c.* 12. *num.* 75. *Covarr. de pactis* 1. *part.* §. 3. *num.* 4 *versic. Ego verò, Cordubæ summa q.* 149. *Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *dubio* 1. *dicto* 1. *Alcozer summa c.* 16. ubi de commutatione votorum, *conclusione* 3. *fol.* 57. *pag.* 1. *Pedraza in summa, præcepto* 1. §. 8. *Metin. lib.* 1. *summæ c.* 14. §. 7. ubi agit de commutatione votorum, *regula secunda, Graffis* 1. *p. decisionum, l.* 2. *c.* 30. *n.* 1. & 5. *Ovandus* 4. *dist.* 38. *disp. unica, in propositione* 27. *Philiarcus de officio sacerdotis, to.* 1. *p.* 2. *l.* 3. *c.* 22. *ad finem, Loudov. Lopez.* 1. *p. instructoris, conscientiæ c.* 49. *in finem Joan. Benedictus in sum. de peccatis, l.* 1. *c.* 9. *paulò ante finem, Corona confessorum p.* 3. *tract. de voto, n.* 18. *Angles floribus* 2. *p. q. unica de voto. art.* 8. *difficultate* 4. *conclusione* 1. & 2. *Antonius Gomez in Bulla Cruciatæ, clausula* 10. *n.* 112. *Manuel. in eadem Bulla*, §. 7. *n.* 105. & *to.* 2. *sum. c.* 100. *n.* 4. *concl.* 4. *in initio, Azor. to.* 1. *institutionum moralium, l.* 11. *c.* 18. *q.* 2. *Sayro in clavi regia, l.* 6. *c.* 12. *n.* 5. *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *puncto* 7. *col.* 9. *versic. Hac ipsa ratione, Leonard. l.* 2. *de justitia c.* 40. *dub.* 11. *n.* 87. *Sorbus in compendio privilegiorum Mendicantium, verbo Votum in adnotationibus suis, notab.* 2. *Suar. to.* 2. *de relig. tract. de voto, lib.* 6. *c.* 18. *an.* 4. *Toledo l.* 4. *sum. c.* 18. *n. penult. Petrus de Ledesma* 2. *to. sum. tract.* 10. *c.* 8. *in fine tertiæ partis*, ubi agit de votorum commutatione, *versic. Resta tratar de la comutacion, Vivalius candelabro sacramentorum tertia parte, c.* 14. *n.* 14. *Emmanuel Sà in sum. verbo Votum, ubi de irritatione votorum, n.* 10. *Enriquez libro quinto de pœnitentia, capite vigesimo, numero quinto*, & *l.* 7. *de indulgentiis capite trigesimo, n.* 5. & est communissima.

5 Utrum autem idem sit dicendum de votis cedentibus in tertii fauorem, diximus *hoc l.* 4. *c.* 41. *n.* 8. ubi defendi idem, modò tertius non acceptarit.

6 Hinc deducitur eleemosynam promissam Deo elargiendam certo pauperi, dum ipsi non est jus acquisitum per acceptationem, posse propria voentis auctoritate dari alii pauperiori, dummodo cætera sint paria, idest, non concurrat peculiaris aliqua circumstantia in minùs paupere, ut ea eleemosyna illi collata sit Deo gratior. Quia cęteris paribus præstantior est eleemosyna pauperiori data. Posset aurem quilpiam existimare posse sibi quoque applicare, si pauperior sit. Sicut res incertas furto ablatas restituendas pauperibus, potest restitutioni obnoxius, si pauper sit, sibi applicare. Cum tamen sit obligatio justitię, quę necessario est ad alterum. Et jusus eleemolynam inter pauperes incertos distribuire, potest juxta aliquos, aliquam sibi pauperi applicare. At dicendum est non posse, etiam auctoritate prælati in id commutari. Quia nullam eleemosynę rationem habet. Sicut eleemosynam injunctam pœnitentia sacramentali, nequit pœnitens pauper sibi applicare. Nec sunt similia adducta. Quia in iis datur nomine veri domini incerti, aut jubentis distribuire, & perinde est ac si ille daret. At in nostro casu dat nomine proprio, & licèt prelatus applicet, applicat nomine vouentis dandam. At poset prelatus ratione paupertatis dispensare, aut in alia opera pia commutare. Vel ipsemet pauper commutare in opus euidenter Deo gratius.

7 Consultò autem diximus in nostra sententia, oportere excessum materię subrogatę esse evidentem: nam si res dubia sit, neutiquam licet commutationem facere propria authoritate. Quod probat textus *in c.* 1. *de voto*, ut eum ponderavimus *numero quarto*. Et ratio est, quòd in dubio sit melior possidentis conditio, quare cum Deus ratione voti possideat, est illi soluenda materia promissa in propria specie, ad quam Deus voto jus comparavit. Atque ita expressè docent *Cajetanus* 2. 2. *q.* 88. *articul.* 12. *paulò post principium, versic. Et confirmatur, Sotus lib.* 7. *de just. quæstione* 4. *articul.* 3. *columna* 4. *versiculo At verò quando in dubio, Navarr. Covarruvias, Angelus, Angles, conclusione* 2. *Graffis n.* 2. & 6. *Leonardus num.* 88. *versic. Ad primum, Suarez n.* 8 *Azor Valentia, Sayro* ubi eos retuli *num. quarto*, qui omnes dicunt exigi euidentem esse excessum, nec sat esse, quando id est dubium. Atque clarè etiam idem significant *Cajet. in summa Armilla, Petrus de Ledesma, Philiarcus* relati *eodem n.* 4. dum dicunt posse hanc commutationem fieri in rem evidenter meliorem: nam ea euidentia cessat, quando res est dubia. Quod tamen est intelligiendum cum limitatione tradenda *n.* 14.

8 Hinc deducitur, non satis esse moralem excessus illius materiæ subrogatæ certitudinem admixtam formidini, idest opinionem probabilem. Quia etsi hæc satis sit, ad rectè operandum, non tamen satis est ad absolvendum unum pro alio, cum de creditoris voluntate non constat. Præterea quia hic assensus opinativus non affert euidentiam excessus sed solam probabilitatem. At sola probabilitas non satis est ad alterum sua possessione spoliandum, sed evidentia requiritur. Cum ergo Deus jus reddendæ sibi materiæ promissæ possideat, non est eo spoliandos ob solam probabilitatem excessus materiæ subrogatæ. Tandem quia Doctores omnes *n. praced.* relati petunt excelsum esse manifestissimum. Atque ita in propriis terminis *Valentia* 2. 2. *disp.* 6. *quæst.* 6. *puncto* 7. *column.* 10. *versic. Notandum est autem, Sayro in clavi regia lib.* 6. *c.* 12. *n.* 5. *vers. Dixi primo.*

9 Ad asgumenta *numero secundo* proposita respondetur. Ad primum cum *Oleastro ibidem, & Suarez eod. c.* 8. *num.* 12. eam legem fuisse cæremonialem, & ideò nunc non oblire. Ad secundum dic, eum textum *c. Licet* esse potius pro nostra sententia, ut eum ponderavimus *numero quarto*: exigitur autem ea licentiæ petitio, quòd jus eam conditionem petierit, ne temerè, & quadam animi leuitate in prioris religionis detrimentum transitus fiat. Ad tertium dic, eum textum fauere potiùs nostræ sententiæ. Ut diximus *num. quarto*. Ad quartum constat ex dictis *numero quarto*, ubi eam commutationem diximus non esse actum judicii, & jurisdictionis, sed abundantiorem voti solutionem. Ad quintum constat ex dictis *num. quarto*, ubi discrimen inter Deum, & homines tradidimus. Ad sextum dic, diversam esse rationem, quia materiam lege, aut pœnitentia prescriptam nequibit subditus commutare, imponendo sibi obligationem ejusdem legis aut pœnitentiæ circa illam; cum illa obligatio non ex sua voluntate, sed superioris emanarit. Quod secùs in voto contingit. Ad ultimum dic, esse mendacem, nisi de creditoris consensu fiat ea solutio in re meliori.

SUMMARIUM.

An commutatio voti in bonum euidenter æquale, possit fieri propria auctoritate? Refertur duplex sententia, n. 10. & 11.

Explicatur sententia Auctoris, & soluuntur contraria, numero 12.

An sicè possit auctoritate priuati confessoris in æquale bonum? n. 13.

Quid, si æqualitas est certa, & dubium est, an materia subrogata sit melior? n. 14.

An promittens religionem, vel certum monasterium illius ingredi, possit aliam æqualem, aut aliud ejusdem ingredi? num. 15.

An promittens rem, quæ usu consumitur, possit dare similem, & promittens rem possit dare pretium, & promittens pecuniam, possit rem ejus valoris dare? n. 16.

An promittens filium religioni, possit alterum offerre? n. 17.

An votum dandi calicis consecrati possit commutari? n. 18.

An sit tuta commutatio propria auctoritate in æquè bonum? num. 19.

An sit mortale commutare votum propria auctoritate in rem æqualem, aut paulò minorem? Remissivè, n. 20.

Post n. 20. *invenies alia summaria.*

10 QUæstio secunda. An commutatio voti in bonum euidenter æquale possit propria voventis auctoritate fieri? Affirmant quidam, ac ducuntur. Quia cum utraque materia sit æquè grata Deo, nil refert utra illarum eligatur, Deusque ei electioni connivere censetur. Et confirmatur, quia utrumque opus absque voto factum placeret æquè Deo, ac æquè illud acceptaret, si a principio permissum esset. Et ideò hanc partem tuentur *Major, Metina, Enriquez, utroque loco, Joannes Benedictus*, ubi eos retuli *num.* 4. *Manuel* 2. *tomo summæ c.* 100. *nu.* 4. *concl.* 4. *in initio*. Atque fortè ita esse tradunt *Sotus, Ludovicus Lopez, Emmanuel Sà*, *eodem n.* 4. relati. Quamvis, ut dicam *n.* 12. *Sotus* postea teneat expresè contrariam sententiam. Et docent esse probabilem *Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *dub.* 1. *dicto* 3. *Suarez tomo* 2. *de religione tractatu de voto, lib.* 6. *c.* 20. *nu.* 4. *in initio*. Et clarè etiam sentiunt esse probabilem, *Alcozer summa cap.* 16. ubi de commutatione votorum *concl.* 6. *fol.* 58. *pag.* 1. tantùm enim vocat oppositum probabilius. Et *Leonardus lib.* 2. *de just. c.* 40. *dub.* 11. *n.* 91. ubi oppositum tantùm vocat tutius.

11 Alii admittunt id fieri posse auctoritate confessoris. Ita *Leonardus n. praced.* relatus & *Vivaldus candelabro sacramentorum* 3. *p. c.* 14. *n.* 16.

12 At dicendum est, non posse propria voentis auctoritate commutationem voti fieri in rem æquè bonam, sed necessaria est auctoritas prælati commutare potentis. Ducor, quia non est certum acceptari a Deo eam commutationem, cum nulla utilitas in ea acceptatione eluceat. Ergo oportet intercedere auctoritatem prælati interpretantis vice Dei eam voluntatem. Insuper quia in hac æqualitate promissa materia excedit, eò quòd ad Dei cultum spectet perseverantia in priori voluntate, ubi aliquid auctius loco illius non præstatur, quo compensetur recessus a priori voluntate obiata Deo. Et hinc constat solutio ad contraria fundamenta allata *num.* 10. Nam supposita promissione non est utraque materia æquè grata, sed gratius est Deo perseverare in materia specialiter promissa, ubi nullus est excessus materiæ subrogatæ. Tandem quia cum (ut dicemus *n.* 19.) sit difficillimum, imò ferè impossibile attingere hanc æqualitatem, non est creditu dignum id commissum esse a Deo cuilibet voventi, & maximè in propria causa. Et ideò hanc sententiam tuentur *Angelus verb. Votum* 4. *n.* 2. *Cajetan.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *col.* 2. *versic. Et confirmatur hoc, in fine*, & *in summa verb. Votum, c. ult. versic. Rationabilis autem, Sot. lib.* 7. *de just. q.* 4. *art.* 2. *col.* 4. *versic. At verò quando in dubio, Covarr. de pactis* 1. *p.* §. 3. *n.* 4. *versic. Est enim prælati, Alcozer nu.* 10. relatus, *Corduba summa qu.* 149. *Toledo lib.* 4. *summæ cap.* 18. *num. penult. Graffis* 1. *p. decisionum lib.* 2. *c.* 30. *n.* 6. *Philiarcus de officio sacerdotis, tom.* 1. *p.* 2. *lib.* 3. *c.* 22. *ad finem, Petrus de Ledesma* 2. *tomo summæ, tract.* 10. *c.* 8. *in fine tertiæ partis, ubi agit de votorum commutatione, in dicto* 3. *Angles floribus* 2. *p. quæst. unic. de voto, art.* 8. *diffic.* 4. & *diffic.* 6. *in secunda conclusione, Azor. tom.* 1. *inst. moral. lib.* 11. *c.* 18. *q.* 2. *Sayro in clavi regia, lib.* 6. *c.* 12. *n.* 8. *Manuel in Bulla Cruciatæ*, §. 9. *n.* 106. *Sorbus in compendio Mendicantium, verb. Votum, in Adnotationibus suis, notabili* 2. *Suar. eod. lib.* 6. *c.* 19. *a n.* 3.

13 Nec etiam auctoritate confessoris carentis potestate delegata ad commutandum, potest hæc commutatio in bonum æquale fieri. Quia jurisdictio ordinaria confessoris solùm extenditur ad forum pœnitentiæ, ad quod nec dispensandi, nec commutandi potestas pertinet, sed ad Ecclesiæ gubernationem in foro externo. Et ideò censetur in hoc quasi privata persona, & militant rationes *n. praced.* traditæ. Hoc est contra Auctores allegatos *n.* 11. Et apertè tenent Doctores allegati *n. preced.* cum petant auctoritatem prælati ad eam commutationem. Et in propriis terminis docet *Suar. eodem cap.* 19. *num.* 6.

14 In hoc tamen casu admitterem sententiam dicentem posse propria auctoritate votum commutari in æquè bonum, quando, scilicet, utriusque materiæ æqualitas esset evidens, at dubium est, an posterior, in quam fit commutatio, sit melior, aut probabile est eam esse meliorem. Quòd tunc evidens sit commutationem cedere in majorem Dei honorem, siquidem potest augere, non tamen minuere Dei cultum.

15 Hinc deducitur, promittentem certam religionem, non posse propria auctoritate aliam diversam ingredi æqualem. Quod probant rationes traditæ *nu.* 12. Eò vel maximè quòd difficilius sit de hac æqualitate judicare in hac materia, quàm in aliis. Quòd si votum esset de peculiari alicujus ordinis monasterio, liceret propria auctoritate aliud ejusdem ordinis ingredi. Quia inter ambo est sola distinctio quasi materialis, & determinatio illius fuit accidentaria, atque in eo voto non intenditur religionis commodum, sed spirituale voventis, quod in utroque idem est, & ejusdem rationis, & ideò votum in propria specie impleri censetur. Hæc docet optimè *Suar. eod. lib.* 6. *c.* 19. *n.* 11. Atque hoc posterius membrum limitat, nisi in observantia regulari sit magna disparitas inter utrumque monasterium. Ego etiam limito, vel nisi aliqua peculiaris majoris divini servitii ratio induxerit voventem ad id determinatum monasterium promittendum. Ut id remotum esse a propria patria, & consanguineorum familiaritate, & sic aptius esse ad inserviendum Deo, seclusis curis sæcularibus, vel esse ad aptius ad asperiorem vitam, vel ad vacandum spirituali proximorum saluti, vel ad quemcumque alium finem majoris obsequii divini.

16 Secundò deducitur, in rebus, quæ unico usu consumuntur, satisfieri voto non dando rem determinatè promissam, sed aliam similem ejusdem bonitatis, ut in vino, oleo, &c. nisi peculiaris aliqua ratio obstaret. Quia non est moralis mutatio inter hæc, sed quasi idem reputantur. Quod secùs contingit in aliis, quæ non unico usu consumuntur, ut si promisi Ecclesiæ servum, non satisfacio dando valorem, nec si promisi pecuniam, satisfacio dando calicem valoris ejus pecuniæ. Quia cum hæc non eidem usui deserviant, nec inter illa sit tam facilis transmutatio, & possit materia promissa esse utilior, aut commodior, non impletur votum in propria specie, & ideò commutari nequit propria auctoritate in id æquale. Quæ docet *Suar. eodem c.* 19. *n.* 12.

17 Tertiò deducitur, voventem tradere filium determinatum religioni, non satisfacere tradendo alterum. Quia cum commutatio sit in rem æqualem, nequit propria auctoritate fieri. Sic *D. Antoninus* 2. *p. tit.* 11. *c.* 2. §. 8. *notabili quarto, Sylvest. verb. Votum* 4. *q.* 7. *dicto* 6. Quod intelligo, nisi filius traditus sit melior religioni illi, omnibus circumstantiis pensatis. Quia tunc commutatio esset in melius: nec filius promissus tenebatur ad religionem, utpote qui paterno voto ligari nequiit, nec ipse vovit.

18 Quartò deducitur, quid dicendum de doctrina *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 10. *ad* 1. ubi sentire videtur votum alicujus rei consecratæ non posse in melius commutari. Quod idem sentire videtur *Abulensis c.* 30. *Num. q.* 102. & *c. ult. Levit. q.* 33. Sed credo id non sentire, sed tantùm res consecratas non posse converti in usum prophanum, quantumvis meliorem. Nam calix consecratus promissus potest alteri Ecclesiæ applicari, si id constet esse melius: Ut benè ait *Suar. eod. lib.* 6. *c.* 18. *n.* 12. Potest etiam commutari id votum in aliam rem evidenter meliorem.

19 Quidquid tamen sit de his opinionibus, id exploratum est, nullatenus esse tutam commutationem in æquè bonum propria auctoritate factam. Quia moraliter difficillimum est utriusque materiæ æqualitatem nosse evidenter. Quare cautè *Sotus lib.* 7. *de just. q.* 4. *art.* 3. *col.* 2. *versic. At de commutatione*, dicens fortè commutari posse votum in id, quod est evidenter æquale, addidit, sive certum esse posset apud Deum rem esse æqualis valoris: quasi certitudinem hanc impossibilem reputans. Et *Manuel in Bulla Cruciatæ* §. 9. *n.* 106. impossibilem reputat. Et *Suarez eodem lib.* 6. *c.* 19. *nu.* 4. difficillimam esse ait. Quod inde etiam confirmatur, nam quando sit auctoritate prælati, in qua non requiritur hæc æqualitatis certitudo, sed satis est æqualitas dubia, consulunt Doctores ad tutiorem commutationem, ut fiat in paulò plus. Ut videbimus *cap. sequenti num.* 10.

20 An verò sit mortale, si propria auctoritate commutatio fiat in æquale, aut paulò minus, dicemus *c.* 51. *nu.* 15. & 16.

SUMMARIUM.

Quando sit necessaria auctoritas prælati ad commutanda vota? n. 21.

Potestas hæc est actus jurisdictionis spiritualis, n. 22.

An ad illam aliquis ordo exigatur, & laicus sit ejus capax, aut ejus præscribenda? n. 23.

An fœmina sit illius capax, & possit abbatissa commutare vota monialium? n. 24.

An concessa ab excommunicato valeat? n. 25.

An ea sit apud infideles? n. 26.

An in his omnibus sit contrarium dicendum, quando commutatio sit in euidenter melius? n. 27.

Quibus competat ordinaria commutandi vota potestas? n. 28.

An possint hi sua vota commutare, aut delegare confessario, ut illa commutent? Remissivè, n. 29.

Quid dicendum, quando dubia est commutantis potestas? n. 30.

21 QUæstio ultima. Quando sit auctoritas prælati necessaria ad commutanda vota? Cujus decisio ex dictis constat. Nam secundùm omnes exigitur, quoties commutatio non fit in euidenter æquale: & juxta multo veriorem opinionem exigitur etiam, quando fit in euidenter æquale. Ut *num.* 12. probavimus non solùm autem exigitur, quando fit in euidenter melius. Ut diximus *num.* 4. Et quando sit in euidenter æquale, dubium tamen an sit melius. Ut diximus *num.* 14.

22 Hæc autem prælatorum potestas est jurisdictionis spiritualis ad vota vice Dei commutanda, concessa quæ est a Christo Servatore nostro, non autem a jure naturali profecta. Sicut de potestate dispensandi diximus *cap.* 37. *num.* 16. juncto *num.* 3. Et tradit *Azor. tom.* 1. *instit. moral. lib.* 11. *cap.* 19. *quæst.* 18. & omnes. Exigiturque ad illam jurisdictio in foro externo. Sicut de potestate dispensandi probavimus *eodem cap.* 37. *num.* 22.

23 Hinc deducitur, nec laicum, nec clericum conjugatum esse capacem hujus potestatis, nisi ex Pontificia

cia dispensatione, nec posse potestatem hanc quocumque temporis spatio præscribere, sufficit autem ad illam prima consura. Sicut hæc omnia probavimus de potestate dispensandi *c.* 37. *n.* 20. & 21.

24 Secundò deducitur, fœminam esse illius capacem. Quare abbatissa nequit vota monialium sic commutare. Ut benè docet *Manuel tomo* 1. *quæstionum regularium quæst.* 25. *art.* 7. sicut etiam probavimus *c.* 39. *n.* 7. eam non posse in monialium votis dispensare. Quod utrumque sit actus jurisdictionis spiritualis.

25 Tertiò deducitur, non valere hanc commutationem factam a prælato excommunicato denuntiato, aut notorio clerici percussore. Sicut de dispensatione probavimus *c.* 37. *nu.* 19. Quia utraque est actus jurisdictionis.

26 Quartò deducitur, hanc potestatem commutandi vota non esse apud infideles. Quòd in eis nulla possit esse jurisdictio spiritualis.

27 Quæ omnia secùs se habent, loquendo de potestate commutandi vota in rem evidenter meliorem. Cum enim ea nullius jurisdictionis actus sit, sed proprio cujusque voventis arbitrio fieri possit, est apud laicos, & fœminas, & infideles, & valet facta sic commutatio a quocumque excommunicato.

28 Quòd si petas, quibus competat ordinaria spiritualis commutandi vota potestas; ea est regula certissima apud omnes. Omnis, & solus, gaudens ordinaria dispensandi in votis potestate gaudet quoque ordinaria commutandi illa, & è contra. Quia cum utraque sit jurisdictionis spiritualis in foro externo, omni, & soli hanc habenti competit. Præterea, quia utraque includitur in pastorali munere, & in illius adæquata jurisdictione, per modum unius simplicis potestatis necessariæ ad id munus: & ideò neutra ab alia separatur. Atque ita tradunt *Sylv. verb. Votum* 4. *q.* 3. *dict.* 2. *Tabienæ verb. Dispensatio q.* 9. *nu.* 11. *ad finem*, *Palacios* 4. *dist.* 38. *disputat.* 3. *cel.* 36. *fol.* 880. *Alcozer summa cap.* 16. *ubi de commutatione votorum*, *conclus.* 1. *fol.* 57. *pag.* 1. *juncta conclus.* 1. *ubi de dispensatione fol.* 58. *pag.* 1. *Toledo lib.* 4. *summæ cap.* 18. *num. ult. Suarez tom.* 2. *de religione*, *tractatu de voto*, *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 4. *in fine*, *Petrus de Ladesma* 2. *tom. summæ*, *tractat.* 10. *cap.* 8. *in fine tertia partis*, *ubi agit de commutatione votorum*, *versicul. Digo lo quarto*. Qui autem habeant ordinariam dispensandi in votis, tam sæcularium, quàm regularium potestatem: satis explicuimus *c.* 38. & 39. Et ideò omnes illi poterunt eorum vota commutare.

29 An verò possint hi sua vota commutare, aut delegare suo confessario, ut ea commutent, diximus *c.* 39. *n.* 11. & 12.

30 Tandem si dubia sit commutationis potestas, sive ordinaria, sive delegata, & de aliis dubiis, quæ circa commutationis valorem occurrere possunt, nil novi dicendum est. Nam *c.* 44. de his circa dispensationem egimus. Quæ omnia locum habent in similibus dubiis de commutatione. Solùm in commutatione poterit dubitari specialiter, quando est dubia æqualitas materiæ, in quam fit commutatio cum materia promissa. Sed de hoc dicemus *c. sequenti*.

CAPUT L.

De materiæ æqualitate per commutationem subrogatæ, & causa petitis ad votorum legitimam commutationem.

SUMMARIUM.

Quotuplex quæstio disputanda sit? num. 1.
An commutatio voti facta potestate ordinaria, aut delegata, sit facienda in bonum æquale? Refertur duplex sententia; num. 2. & 3.
Explicatur sententia Auctoris; num. 4. & 5.
An hæc æqualitas sit scrupulosè, & mathematicè capienda? num. 6.
An possit fieri in materia, de cujus æqualitate dubitatur? num. 7.
An peccent commutantes vota absque debita æqualitatis investigatione? num. 8.
An præsumenda sit male facta commutatio, quæ in rem minorem facta reperitur, an potius sit præsumenda dispensatio, admixta? num. 9. *remissivè.*
An sit consilium commutare in aliquid amplius? num. 10.
Solvuntur argumenta.? num. 11.
Pest num. 11. *invenies summaria, quæ desiderantur.*

1 DUplex petitur quæstio. Prior, de æqualitate materiæ subrogatæ per commutationem. Posterior, de legitima causa ad commutandum petita.

2 Quæstio prior. An commutatio mera nullam dispensationem admixtam habens, sit necessario in bonum æquale facienda, sive potestate ordinaria, sive delegata fiat? Quibusdam placet posse fieri in paulò minus. Ducuntur primò, quod paulò minus censeatur moraliter æquale. Secundò, quia alias potestas commutandi, sive ordinaria, sive quocumque privilegio delegata, esset nullius effectus, cum ea opus non sit ad commutationem in bonum æquale, sed propria auctoritate possit vovens sic commutare. Tandem quòd beneficium principis sit largissimè interpretandum *l. Beneficium, ff. de constit. principum*. Et ideò hanc sententiam tuentur *Aragon.* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *dub.* 1. *coroll.* 2. *quod infert ex tertio dicto*, *Alcozer summa cap.* 16. *ubi de commutatione votorum*, *concl.* 7. *fol.* 58. *pag.* 1. *Metina lib.* 1. *summa cap.* 14. §. 7. *ubi de commutatione*, *regula* 3. *Toledo lib.* 4. *summæ*, *cap.* 18. *num. penult. Emmanuel Sà in summa verb. Votum*, *ubi de Votorum irritatione*, *nu.* 10. *Enriquez lib.* 7. *de indulgentiis cap.* 30. *num.* 5. *Leonard. lib.* 2. *de just. cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 95. *Manuel in Bulla Cruciatæ* §. 9. *num.* 107. & *additionibus ad eumdem* §. *num.* 107. & *tom.* 2. *summæ c.* 100. *num.* 4. *in* 3. *documento*, *Sayro in clavi regia*, *lib.* 6. *c.* 12. *num.* 19.

3 Alii idem admittunt cum hac limitatione, *si justa commutandi causa adsit*. Ita *Angelus in summa*, *verb. Votum* 3. *n.* 26. *in fine*, *Vivaldus candelabro sacramentorum* 3. *p. c.* 14. *n.* 20. & 58. *Cordubа summa q.* 140. & 150. *in fine*, explicans hanc causam non debere esse verè solùm gratificari voventi, quam ad ordinariam voti commutationem in rem æqualem sufficere, statim dicemus, sed oportere adesse aliam obstantem executioni voti, ut non posse voventem exequi rem promissam absque sui officii detrimento.

4 Verùm dicendum est, esse necessariò faciendam in bonum æquale: ac proinde sola commutandi facultate potientes, qualis per Bullam cruciatam, aut Jubilæum conceditur, non posse vota in aliquid minus commutare. Ducor, quod hæc votorum commutatio sit contractus quidam inter commutantem nomine Dei, & voventem. Ut testatur *D. Thom.* 4. *d.* 38. *qu.* 1. *art.* 4. *quæst. ult. in corpore*. At contractus omnes suapte natura æqualitatem petunt, quæ in contractu permutationis in eo versatur, ut sit æqualitas inter illa, quæ permutantur. Ut ait *Arist.* 3. *Ethicor.* Et confirmatur, quia in humanis inusitus esset contractus, quo res minor commutaretur majori: atque insideliter rem domini ageret œconomus habens potestatem solam alicujus rei commutandæ, si illam pro minori commutaret. Secundò, quia etsi beneficia principis sint largissimè interpretanda, id tamen est, quatenus proprietas verborum patitur. At proprietas meræ commutationis nullam in materia subrogata inæqualitatem patitur. Quia, ut optimè ait *Sotus lib.* 7. *de justit. quæst.* 4. *artic.* 3. *col.* 4. *versic. At vero quando*, quando commutatio fit in minus, transcendit limites puræ commutationis, & nonnihil habet dispensationis admixtum. Et ideò hanc partem tuentur *Abbas cap.* 1. *num.* 3. & 5. *de voto*, *Paludan.* 4. *d.* 38. *quæst.* 4. *art.* 3. *concl.* 1. *num.* 31. & *ibi supplementum Gabrielis quæst.* 1. *artic.* 5. *ubi de redemptione*, & *commutatione*, *lit. Y. ad finem*, *Cajetan.* 2. 2. *quæst.* 88. *art.* 12. *col.* 2. *vers. In commutatione autem votorum*, & *in summa*, *verb. Votum cap. ultim. versic. Rationabilis autem causa*, *Rosella verb. Votum* 5. *num.* 6. *Sylv. verb. Votum* 4. *in fine*, *Covarr. de pactis* 1. *part.* §. 3. *nu.* 4. *versic. Illud verò*, *Sotus* clarè in verbis ejus proximè citatis, *Palacios* 4. *d.* 38. *disp.* 3. *col.* 28. *paulo ante versiculum*, *Memineris perrò*, *fol.* 876. *Greg. Lopez lib.* 5. *verb. Contando tit.* 8. *part.* 1. *Angles floribus* 2. *part. quæst. unica de voto*, *artic.* 8. *ad finem*, *in praxi dispensandi*, & *commutandi*, *in prop.* 2. *Ovandus* 4. *d.* 38. *disputatione unica*, *proposit.* 25. *Alcozer summa cap.* 16. *ubi de commutatione votorum*, *conclusione secunda*, *fol. quinquagesimo septimo*, *pag.* 1. *Beja bi suis respensis prop. prima casu* 69. *vers. Tum quia dispensatio*, *Azor. tom.* 1. *institutionum moralium*, *libro undecimo*, *cap. decimooctavo*, *quæst.* 6. *Sayro in clavi regia*, *lib.* 6. *cap.* 12. *nu.* 9. *Suarez* 2. *tom. de relig. tract. de voto*, *lib.* 6. *cap.* 12. *nu.* 6. & *cap.* 19. *num.* 7. & 8.

5 Nec approbo limitationem traditam ab aliquibus, quam *n.* 3. retuli, quæ tradit licere commutationem in minus, quando adest causa in vovente. Nam causa illa non potest variare commutationis naturam, & concedere facultatem admiscendæ dispensationis ei, qui sola commutandi potitur. At sufficiet, si sit causa obstans executioni voti, ut gaudens utraque potestate possit pro qualitate causæ, vel omnino dispensare, vel partim admixta commutatione aliqua.

6 Hæc autem materiæ subrogatæ per commutationem æqualitas, non scrupulosè, & mathematicè accipienda est, & quasi in puncto indivisibili consistens, sed moraliter, ita ut prudentis arbitrio, aut nulla, aut parva differentia esse credatur. Quia cum omnimoda æqualitas sit impossibilis cognitu, vana esset commutandi potestas, si hæc indivisibilis æqualitas servanda esset. Et fortè hoc est, quod volunt Doctores contrariæ sententiæ relati *num.* 2. & 3. dum dicunt fat esse in paulò minus, idest, non exigi æqualitatem indivisibilem, quam Hispanè expiscuimus, *poco mas à menos*. Atque ita docent *Sylvester*, *Gregorius Lopez*, *Ovandus*, *Angles proposit.* 4. *Sayro*, ubi eos *n.* 4. retuli, *Azor. eodem cap.* 18. *q.* 13. *in fine*, *Suarez eod. c.* 12. *n.* 6. & *c.* 19. *nu.* 9. *Lud. Lop.* 1. *p. instruct. conscient. c.* 50. *col.* 3. *versic. Etiam secundum*.

7 Quare dum dubia est hæc æqualitas, quia dubitatur an materia subrogata sit minor, dummodo non certum sit esse minorem, est locus huic commutationi. Quia quando res est ita dubia, parva potest esse inæqualitas, etsi fortè in re contingat esse aliquam, & illa censeatur æqualitas moralis. Quia in moralibus quod ita parum distat, ut dubium sit, an distet, parum, & pro nihilo repu-

reputatur. Et ob hæc dubia conceduntur potissimè privilegia commutandi: censendumque est voluisse delegantem concedere aliquam benignitatem. Atque ita docent *Azor. eodem c. decimo octavo*, *quæstione* 6. *Suarez eodem c. duodecimo*, *num.* 6. & *eodem c.* 19. *num.* 9. Et satis significant *Sylvester*, *Gregorius Lopez* relati *num.* 4. *Sayro in clavi regia libro sexto cap. duodecimo*, *numero decimo nono*, dum dicunt satis esse hanc æqualitatem arbitrio prudentis, cessante dolo, & lata culpa. Quare, ut optimè docent *Suarez eodem c. decimo nono nu. nono*, est necesse, ut commutatio fiat sub ratione æqualis, aut probabilis, aut saltem dubii.

8 Ex dictis deducitur primò, peccare mortaliter commutantes vota absque debita æqualitatis investigatione. Quia deficiunt in gravi, & sunt causa cultus diuini minuendi, & malè commutant.

9 Quid autem faciendum sit, quando reperiuntur commutatio facta in evidenter minus, aut dispensatio sine sufficienti causa, dicemus *c. sequenti*, *à num.* 7. *usque ad* 19.

10 Secundò deducitur, consilium esse, quandò mera commutatio fit, commutare in aliquid melius, quantumcumque parum melius sit. Quia sic commutans procedet tutiùs: & quia cum attingere æqualitatem sit difficillimum, inclinandum est in melius, ut Dei negotium fidèliter agatur. Et ita docent *Cajetanus in summa*, *verbo Votum cap. ult. vers. Rationabili autem*, *Pedraza in summa in præcepto*. §. 8. *Suarez eod. l.* 6. *c.* 19. *num.* 4.

11 Ad argumenta contraria *nu.* 2. relata respondetur. Ad primum dic, quando constat rem esse paulò minorem, non censeri moralem æqualitatem petitam ad commutationis justitiam. Ad secundum dic, multùm operari privilegium. Tum quia non posse in evidenter æquale commutari votum propria auctoriate, probavimus *c. praced. num.* 4. Tum etiam quia omnes fatentur id fieri non posse, quando non est evidens æqualitas: at privilegia concedunt commutationem, quando æqualitas est dubia: nec æqualitas mathematica petitur. Ut diximus *nu.* 6. & 7. Ad ultimum constat ex dictis *n.* 4. in secunda ratione.

SUMMARIUM.

An commutatio exigat causam? Refertur duplex sententia, num. 12. & 13.
Exigit causam, quoties indiget auctoritate prælati, numero 14.
Quid, quando fit in evidenter melius? num. 15.
Quid, quando est probabile materiam esse digniorem promissa, aut id est dubium cum æqualitatis certitudine? num. 16.
Quid, quando commutatio est in rem æqualem? num. 17.
Quid, quando in minorem, aut de cujus æqualitate dubitatur? num. 18.
Quid, quando potestate delegata per religionis privilegia, Bullæ, aut Jubilei, aut per alia, fit commutatio? num. 19.
An exigatur causa obstans? Refertur quadam sententia, numero 20.
Explicatur sententia Auctoris, num. 21.
An sufficiat causa modica? num. 22.
Qualis sit illa? num. 23.
Quid, quando commutatio fit in minus? num. 24.
An sit lethale in paulò minus, aut sine causa commutare, sive auctoritate prælati, sive propria fiat? Et quid, si in rem æqualem? num. 25.

12 QUæstio posterior. An commutatio exigat causam, & qualem? Quidam censent commutationem factam per prælatum etiam in melius indigere causa. Ducuntur ex *cap.* 1. *de voto*, ubi prælato votum peregrinationis commutaturo, sic dicitur: *Consideret diligentiùs qualitatem personæ*, & *an peregrinatio*, *an recompensatio melior fuerit*, & *Deo magis accepta*. Et ita tradit *Innocentius ibi numero unico*, *ad medium*. Et pro hac parte citantur ab *Angelo verbo Votum* 4. *num.* 10. *Idem Innocentius rubrica de observat. jejun. n.* 2. & *Archidiaconus c. Presbyter. distinct.* 82. *num.* 3. sed tantùm uterque *ibi* dicit jejunia promissa posse redimi auctoritate superioris, si utilitas subsit: & ideò neuter declarat, an id opus fit, quando commutatio fit in melius: & an tunc sufficiat excessus illius operis subrogati pro commutationis utilitate.

13 Alii petunt causam, quando commutatio fit in minus: & ideò sentire videntur secùs esse, quando fit in evidenter æquale. Et ratio potest esse, quòd nulla prælati auctoritate egeat facta in euidenter æquale. Ita *Ludouicus Lop.* 1. *part. instructorii conscientia cap.* 49. *ad finem*, *Manuel in Bulla Cruciatæ* §. 9. *numer.* 107. & *addition. ad eumdem* §. *numer.* 105. & *tomo* 2. *summæ cap.* 100. *numer. quarto conclusione* 4. *documento* 2. Et idem tenentur dicere omnes Doctores relati *cap. præcedenti numero secundo*, & *tertio* asserentes commutationem in euidenter æquale posse propria auctoritate fieri. Et in propriis terminis docent *Angelus* relatus *numer. præcedenti*.

14 Sit tamen conclusio. Quotiescumque commutatio indiget auctoritate prælati ecclesiastici, ut legitimè fiat, indiget quoque causa. Ratio est aperta. Quia cum non fiat potestate dominativa, cujus usus est liber, sed potestate spirituali à Deo tradita prælatis, tamquam suis œconomis, ejusque vicem gerentibus, usus illius non potest esse ad libitum, sed rationi consentaneus esse debet. Ergo exigit causam. Præterea, quia prælatus in ea commutatione interpretatur consensum Dei. At ubi nulla est ratio, sed libera sua voluntas, non est legitima divinæ voluntatis interpretandæ causa. Hoc etiam ampliùs probabunt rationes asserendæ *num.* 17. Idque satis probant verba textus *cap.* 1. *de voto*, *num.* 12. & id clarè supponit *D. Thom.* 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 12. *corpore*. Et tenent *Glossa eo cap.* 1. *verbo Causam*, *Abulensis cap.* 30. *Num. quæst.* 103. *in fine*, & 104. *in initio* & 105. *in initio*, & *in fine*. Et universi Doctores referendi in corollariis, quæ hinc inferam.

15 Hinc deducitur primò, nullam exigi causam ad commutationem in evidenter melius. Ducor primò, quia hujusmodi commutatio non indiget potestate aliqua spirituali, sed propria voventis auctoritate fieri potest. Ut probavi *cap. præcedenti num.* 4. Secundò, quia cum ex ea commutatione magis augeatur cultus divinus, is solus excessus est legitima causa. Quippe œconomus prudenter, & fideliter rem domini ageret, si debita domini commutaret in res evidenter illi gratiores absque alia causa. Id enim est potestate uti juxta apertam domini voluntatem. Tertiò, quia *c. ex multa de voto*, permittitur commutatio, si utilitas, aut necessitas id suadeat. At utilitas est commutatione facta in melius. Tandem, quia *c. Quod super de voto*, commutatur votum peregrinationis Hierololymitanæ fœminarum, ea sola causa, quòd subsidium pecuniarum plus prosit, quàm earum præsentia. Quare textus *cap.* 1. *de voto*, exigens causam intelligitur, dum commutatio non fit in rem evidenter meliorem. Atque ita hoc sustinent *Abbas eo cap.* 1. *num.* 3. & 5. & *c. Magna num.* 16. *de voto*, *D. Bonavent.* 4. *distinct.* 38. *artic.* 2. *quæst.* 2. & *ibi Ricardus artic.* 8. *quæst.* 1. *Rosella verbo Votum* 5. *num.* 6. & *verbo Papa*, *num.* 1. *Angelus verbo Votum* 4. *num.* 10. *Sylvest. verbo Votum* 4. *in fine*, *Cajet.* 2. 2. *quæst.* 88. *artic.* 12. *columna* 2. *versic. In commutatione autem votorum*, *Sotus lib.* 7. *de just. quæst.* 4. *art.* 3. *columna* 8. *versic. Ex istis consequitur*, *Leonardus lib.* 2. *de just. cap.* 40. *dub.* 11. *num.* 96. *Vivaldus candelabro sacramentorum* 3. *part. cap.* 14. *num.* 14. *Sayro in clavi regia*, *lib.* 6. *cap.* 12. *num.* 25. *Azor. tomo* 1. *instit. moral. lib.* 11. *cap.* 18. *q.* 3. *Beja in suis responsis* 1. *part. casu* 49. *versic. Tum quia dispensatio*. Et 2. *p. casu* 9. *in ordine*, *qui est primus ex propositis in congregatione habita feria* 3. *die* 29. *Martii*, *habetur fol.* 81. *in notabili* 3. *Suarez tomo* 2. *de relig. tract. de voto lib.* 6. *cap.* 18. *num.* 9.

16 Secundò deducitur, nullam quoque desiderari causam, quando prælatus commutat votum in rem certo æqualem, judicans probabiliter esse meliorem, aut dubitans, an melior sit. Tum quia *c. praced. nu.* 7. probavimus hujusmodi commutationem posse propria voventis auctoritate fieri. Tum etiam quia fideliter tractat negotium domini, qui nulla alia causa ductus commutat in rem æqualem, & sic certus de nulla jactura & dubius de lucro. Et ita tradit *Suarez eodem c.* 18. *n.* 10.

17 Tertiò deducitur, quando commutatio est in rem æqualem, esse opus aliqua causa, ultra prælati auctoritatem. Probatur, quia hæc commutatio indiget auctoritate ecclesiastica, ut probavi *c. præcedenti n.* 4. Et ita militant rationes traditæ *n.* 14. Secundò, quia imprudenter œconomus debitum domino commutaret in rem æqualem, nulla utilitate suadente: qualis non est, ubi nulla commutandi causa justa subest. Et confirmatur, quia eo ipso quòd materia per commutationem subrogata non est melior, est magis consentaneum fidelitati Deo debitæ solvere materiam promissam. Ergo ut non fiat hoc, quod est per se debitum, exigitur aliqua causa. Rursus quia hujusmodi commutatio habet nonnihil dispensationis admixtum, dispensatur enim in rigore fidelitatis, solvendo in diversa specie: & subinde aliqua causa opus est. Atque ita docent *Abbas cap.* 1. *num.* 3. & 5. *de voto*, *Rosella verbo Votum* 5. *n.* 6. & *verbo Papa nu.* 1. *Sylv. verbo Votum* 4. *in fine*, *Armill. verbo Votum n.* 14. *Cajet.* relatus *n.* 15. & *in summa*, *verbo Votum c. ult. versic. Rationabilis autem causa*, *Covarr. de pactis* 1. *p.* §. 3. *n.* 4. *versic. Est enim prælati*, *Sayro in clavi regia*, *lib.* 6. *c.* 12. *n.* 8. & 25. *Beja utroque loco*, *Leonardus*, *Azor.* ubi eos retuli *nu.* 15. *Grassis* 1. *p. decisionum*, *lib.* 2. *c.* 30. *nu.* 6. & 7. *Angles floribus* 2. *p. q. unic. de voto*, *art.* 8. *diffic.* 6. *in* 4. *propositione*, *Vivaldus candelabro sacramentorum* 3. *p. c.* 14. *n.* 15. & 22. *Suarez eod. lib.* 6. *c.* 19. *n.* 5. & *n.* 14. *in fine*.

18 Ultimò deducitur, a fortiori id esse verum, quando commutatio fit in minus, aut in rem, de cujus æqualitate dubitatur. Quòd in utroque casu certissimum sit, opus esse auctoritate prælati, ut probavi *c. præcedenti n.* 21. Item quia in priori casu miscetur dispensatio. Et ita a fortiori tenent omnes citati *num. præcedenti*. Et in propriis terminis docent *Suar. eod. lib.* 6. *c.* 18. *n.* 10. *Manuel* 2. *tomo summæ c.* 100. *n.* 4. *concl.* 4. *docum.* 2.

19 In prædictis autem casibus, in quibus exigi causam, ut prælati vota commutent, diximus: a fortiori ea requiretur in commutantibus vota per potestatem delegatam, quando simpliciter delegatur hæc potestas in gratiam delegati, ut sit per religionum privilegia, vel quando delegatur simpliciter hæc potestas in favorem privatæ personæ. Quia si habens potestatem ordinariam nequit absque causa commutare: multò minùs id poterit habens potestatem ab eo delegatam. Et ita docet *Suarez eodem lib.* 6. *cap.* 19. *n.* 10. Addita est autem prædicta limitatio, quia quan-

quando potestas non delegatur simpliciter, sed cum aliquo onere ob bonum commune, ut fit per Bullam, vel Jubilæum, nulla alia est opus causa; quàm conferre eleemosynam in belli subsidium præscriptam in Bulla, & exequi opera in Jubilæo præscripta. Quo ob eam causam Pontifex eam facultatem concedit. Et ita docent *Suarez ibidem*, *Manuel in addition. ad Bullam Cruciatam* §. 9. *n.* 107. *in fine*. Quare dum *ipsemet Suarez eodem c.* 19. *n.* 7. *in initio* ait ad commutationem per Bullam, vel Jubilæum, exigi causam, in telligendus est de prædicta, non autem de alia speciali.

20 Sed major difficultas est, qualis causa exigatur ad commutanda vota in rem æqualem. Quidam petunt causam obstantem executioni voti, sicut eam ad voti dispensationem exigi diximus *c.* 45. *n.* 15. & 16. Hujus sententiæ clarè videntur *Abbas c.* 1. *nn.* 3. & 5. *de voto*, *Rosella verbo Votum* 5. *n.* 6. *Sylvester verbo votum* 4. *in fine*, *Angelus verbo votum* 4. *n.* 10. ubi dicentes exigi causam ad commutandum in bonum æquale, exemplum afferunt, ut si vovens peregrinari sit ad id debilis. Quæ causa est manifestè obstans. Et clariùs, *idem Sylvester verbo Votum* 4. *q.* 6. *ad finem*, *Abulensis c.* 30. *Num. q.* 105. *in initio*, & *in fine*, ubi causas commutandi dicunt esse impossibilitatem commutandi voti, aut incommoditatem, quæ est impossibilitas juridica. Quas constat esse causas obstantes. Et *Ovandus* 4. *d.* 38. *disputatione unica*, *propositione* 26. *Azor. tomo* 1. *institutionum moralium*, *lib.* 11. *c.* 18. *q.* 3. *Sayro in clavi regiæ*, *lib.* 6. *c.* 12. *nu.* 26. Et *Vivaldus* relatus *nu.* 17. ubi postquam dixere ad hanc commutationem exigi causam: quærunt quæ sint justæ illius causæ, & numerant omnes ad dispensationem petitas: quæ sunt causæ obstantes exequendo votum. Idem videtur a contrario sensu sentire, *Sotus lib.* 7. *de justitia qu.* 4. *art.* 3. *columna* 8. *versic. Ex istis consequitur*, ubi ait ad commutationem in melius factam non opus esse causa obstante.

21 Sed dicendum est, non exigi causam obstantem executioni voti ad id. Quia est longè diversa ratio in mera commutatione, & dispensatione totali, aut partiali habente commutationem admixtam. Quòd per totalem dispensationem tollantur omnino vinculum voti, & materia promissa, & per partialem tollantur eadem partim: at in commutatione idem prorsus vinculum manet, & supra materiam æqualem subrogatam, in quo parum, aut nil cultus divinus læditur. Non ergo exigitur causa obstans. Et id constabit magis ex dicendis *n.* 23. Atque ita docent *Cajet.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *col.* 2. *versic. In commutatione autem votorum*; & *in summa*, *verbo Votum c. ult. versic. Rationabilis autem causa*, & *ibi Armilla n.* 14. *Navar. lib.* 3. *cons. tit. De voto*, *in priori editione*, *cons.* 16. *n.* 4. *in posteriori*, *cons.* 36. *n.* 4. *Aragon.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *in dubio*, *quod movet circa secundam conclusionem*, *in primo dicto*, *fol.* 1041. *col.* 1. *Valentia* 2. 2. *disput.* 6. *q.* 6. *puncto* 7. *col. antepenult. versic. Ex commutatione autem*, *Corduba summa*, *q.* 149. *Enriquez lib.* 7. *de indulgent. c.* 30. *n.* 5. *Petrus de Ledesma* 2. *tomo summa tract.* 10. *c.* 8. *in* 2. *part.* ubi agit de causis dispensationis, *versic. Hablando de la pura comutacion*, *Leonardus lib.* 2. *de just. c.* 40. *dub.* 11. *n.* 96. *Antonius Gomez in Bulla Cruciata claus.* 10. *n.* 105. & idem constat ex sententia *Suarez*, quem *n.* 23. referemus.

22 Atque ad hujusmodi commutationem sufficit causa levis, & parva. Quia parva est remissio per illa facta. Ita *Suarez tom.* 2. *de relig. tract. de voto*, *lib.* 6. *c.* 18. *n.* 9. & 10. & *c.* 19. *n.* 10. & *n.* 14. *in fine*. Et constabit ex dicendis *num. sequenti*.

23 Imò ea sola causa sufficit, ut vovens petat commutationem. Quia semper cum illa petitione concurrit promptior voventis voluntas ad materiam subrogatam, atque cedit in Christi honorem, & Ecclesiæ utilitatem, si Dei benignitatem voventes experiantur, prælato gratificante vice Dei illis, qui sua se sponte Deo obligarunt, acceptando eam commutationem, quò faciliùs in posterum ad vota Deo dicanda inducantur. Atque ita docent *Cajet. utroque loco*, *Armillæ*, *Corduba*, *Valentia*, *Leonardus*, *Antonius Gomez*, *Enriquez*, *Petrus de Ledesma* relati *n.* 21. *Suarez eodem lib.* 6. *c.* 19. *nn.* 10. Quare optimè ait *Cajetanus*, tunc prælatum sine causa commutaturum, quando pro libito ante subditi petitionem, nec intuitu illius gratificationis commutat. Et ideò optimè dicit *Suarez eodem lib.* 6. *c.* 20. *n.* 7. moraliter numquam deesse causam.

24 Temperat autem hoc *Leonardus ibidem*, ut habeat verum, quando commutatio est in rem evidenter æqualem: nam si dubitatur æqualitas, ait satis esse notabilem molestiam in voto implendi, vel magnam fragilitatem cum violandi periculo, aut repugnantiam parentis, aut viri, vel quid simile arbitrio prudentis. Et quamvis non exprimat has causas tunc exigi, sed tantùm dicat eas sufficere; at verè videtur sentire eas exigi. At existimo eamdem causam sufficere in commutatione, quæ fit in materiam, de cujus æqualitate dubitatur, & sic censetur moraliter æqualis. Quia Doctores *num. præcedenti* relati loquuntur de commutatione mera concessa prælatis, & aliis, quibus ipsi delegant: & ratio eorum in illa militat. At hujusmodi est hæc commutatio. Ut probavi *nn.* 6. & 7. Item quia aliàs frustranea esset ea doctrina, cum sit moraliter impossibile hanc æqualitatem posse evidenter. Ut diximus *c. præcedenti num.* 19.

25 Utrum verò sit culpa lethalis, si propria, aut prælati auctoritate commutetur votum in paulò minorem materiam, vel in aliam æqualem, aut dubiam, an sit æqualis: & etiam quando nulla justa commutandi causa adest: dicemus *c. sequenti num.* 15. & 16.

CAPUT LI.

Quando commutatio defectu consensus, consurgente ex fictione, dolo, aut metu, corruat? Et quando ratione defectus æqualitatis materiæ, aut causæ est injusta, an sit in totum irrita? Et quid de dispensatione carente causa omnino justa?

SUMMARIUM.

Quando commutatio corruat ratione ficti consensus, aut dolo aut metu extorti? Remissivè, num. 1.

Quid de commutatione sive auctoritate prælati facta, sive propria in rem æqualem, aut minorem, absque legitima tamen causa, an in totum corruat, ita ut non satisfiat supplendo partem? Refertur duplex sententia, a num. 2. *usque ad* 6.

Explicatur sententia Auctoris circa commutationem a prælato factam in rem æqualem, sed absque legitima causa; num. 7.

Et circa commutationem in minus factam eadem auctoritate? num. 8.

Et quando utrumque fit auctoritate delegati? num. 9.

An defectum illum materiæ æqualis possit supplere quicumque? num. 10.

Et quando sit propria auctoritate, aut cujuscumque non habentis potestatem commutandi, & fit in bonum æquale, aut in minus? num. 11.

Quis, & qualiter possit tunc supplere defectum? num. 12.

An violans votum ante suppletum materiæ defectum, peccet? num. 13.

Qualiter peccet superior commutans in bonum æquale, aut minus, absque legitima causa? Refertur quadam sententia num. 14.

Et ibi de commutante privata auctoritate in bonum æquale, aut minus.

Explicatur sententia Auctoris, etiam de commutante propriæ auctoritate, num. 15. & 16.

An quando commutatio reperitur facta in minus a confessore, vel ab alio, præsumenda sit legitima, & admixta dispensationi? num. 17.

Quando facta est sic propria auctoritate, aut præsumitur illegitima, quod medium adhibendum? num. 18.

Quando dispensatio est facta absque causa omnino justa, an partim valeat, & satis sit partialem commutationem supplere? num. 19.

Solvuntur argumenta, num. 20.

1 DUO petuntur. Prius est de commutatione, in qua defuit legitimus consensus, eò quòd fuerit ficius, aut metu extortus, aut dolo, tacendo veritatem, aut suggerendo falsitatem. Et de hoc satis egimus *toto cap.* 47. Posterius est, quando fuit defectus in causa, aut æqualitate materiæ subrogatæ, ad legitimam commutationem petitis. Et de hoc est præsens quæstio, an ratione horum defectuum sit prorsus irrita commutatio, ita ut non sufficiat aliquid supplere.

2 In hac quæstione quidam videntur affirmare indistinctè commutationem esse irritam, quando fit in minus bonum. Hi sunt *Innoc. c.* 1. *n. unic. ad medium*, *de voto*, ubi ait commutationem hanc non valere. Et *Navarr. lib.* 3. *consil. tit. De voto*, *in priori editione*, *consil.* 5. *n.* 1. *in posteriori*, *consil.* 19. *n.* 1. & *Azor. tom.* 1. *instit. moral. lib.* 11. *c.* 18. *q.* 12. ubi asserunt tunc manere prioris voti vinculum. Et reddit rationem *Navarr.* quia illa commutatio tamquam irrita non obstat. Nec enim præstat impedimentum, quod de jure non sortitur effectum, *regul. Non præstat*, *de regulis juris*, *in* 6. Et *Palacios* 4. *d.* 38. *disput.* 3. *col.* 28. *paulò ante versiculum*, *Memineris porro*, *fol.* 876. & *Ludovicus Lopez* 1. *p. instruct. conscient. c.* 50. *col.* 3. *versic. Etiam secundum*, ubi dicunt hujusmodi commutationem esse invalidam. Et *Alcozer summa c.* 16. *ubi de commutatione votorum*, *conclus.* 2. *fol.* 57. *pag.* 1. ubi ait valorem commutationis exigere fieri in rem æqualem.

3 Alii non ita universaliter loquuntur, sed distinguunt inter commutationem factam auctoritate prælati, & propria. Et ita primò dicunt, commutationem factam auctoritate prælati in bonum æquale, sed manifestè absque justa causa, valere. Quia adfuit potestas in superiori, voluitque commutare, & in solo modo deliquit. Ita docet *Suarez tom.* 2. *de relig. tract. de voto lib.* 6. *c.* 20. *n.* 7.

4 Secundò dicunt, commutationem factam in minus bonum absque legitima causa, tam ad commutandum, quàm ad illam materiam minuendam, factam a prælato, esse prorsus nullam, nec extingui votum solutione materiæ subrogatæ: secùs autem quando intervenit causa sufficiens ad commutationem, etsi non ad diminutionem: tunc enim valere commutationem quo ad partialem illam voti solutionem dicunt, manente sola obligatione supplendi id, quod ad æqualitatem faciendam defuit. Rationem prioris partis reddunt, quia totus actus fuit ultra prælati potestatem, cum

cum ad neutrum adfuerit legitima causa, & ita totus corruit. Posterioris autem, quia ea partialis commutatio correspondens æqualitati materiæ promissæ quo ad partem illius, habet omnia requisita, cum quo ad illam partem servetur æqualitas, & adsit justa commutandi causa. Ita docet *idem Suarez eodem c.* 20. *n.* 7. & *c.* 17. *n.* 5.

5 Tertiò dicunt, commutationem factam in rem æqualem, aut minorem, propria auctoritate, aut alterius carentis potestate commutandi, esse omnino irritam, & nullatenus voti obligationem extinguere, & ideò licèt vovens impleverit materiam illam subrogatam, teneri prorsus ad prius votum. Ita docet *Suarez eodem c.* 20. *n.* 6. & *c.* 19. *n.* 14. Atque in priori loco id probat. Quòd ea commutatio facta fuerit absque potestate, & consensu creditoris: nec enim potuit vovens illud commutare in rem æqualem, aut minorem: nec Deus, qui promissionis creditor est, ei commutationi consensit. Ergo materia illa subrogata non fuit ex vinculo prioris vi soluta, ac proinde nec tamquam debita, utpote quæ nulla alia ratione erat debita, & sic nullatenus commutationi deserviet. Secundò potest idem probari, quia ipsemet vovens non habet vices Dei, aut ejus potestatem ad commutandum proprium votum, sed tantùm potest commutare in evidenter melius, eò quòd Deus acceptet eam solutionem tamquam majorem debita. Ergo cum talis non est solutio, sed æqualis, aut minor deficit omnino potestas, & acceptatio Dei, & sic omnino corruet. Et confirmatur, quia si quis absque domini licentia venderet rem ejus æquali pretio, quod valebat, nil agit, etsi dominus auctiori dato vellet: Ergo similiter commutans votum in rem æqualem nil agit, etsi Deus acceptaret, si fieret in meliorem. Ultimò, quia si votum est rei individuæ, ut peregrinationis, assumendi ordinis sacri, non potest dici partem ejus manere commutatam, cum neutra parte separari valeat: si autem est rei dividuæ, ut aliquarum precum diversæ rationis, ut recitandi calculos virgineos, & officium divinum, non est potior ratio, cur potiùs valeat in una parte, quàm in alia, & ita in neutra valebit, cum materia subrogata non æquivaleat utrique.

6 Tandem *idem Suarez eodem c.* 20. *n.* 6. refert aliquos dicentes tacito nomine eorum, sufficere petere ab habente commutandi potestatem, ut approbet commutationem illam, & quasi denuo eam faciat, approbando priorem solutionem. Sed hoc ait videri sibi difficile. Quia commutatio debet esse proportionata voto: & ideò sicut votum illud obligat ad novum opus, ita debet commutari in nova opera futura. At fatetur illa opera facta pro illa commutatione irrita, conferre multùm ad complendam dispensandi in eo voto legitimam causam.

7 Prima tamen conclusio sit. Quando commutatio voti fit auctoritate prælati in rem æqualem, & sola commutandi causa deficit, valet utique commutatio. Et in hac consentit *Suarez*, ut eum *num.* 3. retuli, & *ibi* tradita est ratio. Nec credo aliquid supplendum, cum substantiæ commutationis nil defuerit, sed soli rationabili potestatis usui, idque in re levissima, cum levissimam causam petat commutatio. Ut diximus *c. præced. n.* 22.

8 Secunda conclusio. Quando commutatio fit in minus auctoritate prælati, etiamsi nulla ad commutandum causa subsit, nedum ad minuendum, valet utique commutatio, cum sola obligatione supplendi id, quod defuit ad æqualitatem materiæ subrogatæ cum promissa. Hæc est contra *Suarez*, qui (ut eum retuli *nu.* 4.) tantùm hoc admittit, quando fuit causa justa commutandi, etsi talis non fuerit minuendi. Sed probatur. Quia mitiùs agitur cum Deo, quàm cum hominibus. *Celsus*, *ff. de receptis arbitris*. Qua ratione dixit *Glossa lib.* 2. *verb. Non obligatur*, *ff. de polliceit.* posse patrem irritare vota realia filiifamilias puberis, cum nequeat obligationem cum homine contractam cassare. At inter homines commutatio injusta defectu æqualitatis inter res permutatas, non est omnino irrita, sed valet quidem cum obligatione supplendi excessus. Quod constat ex *lib.* 2. *C. de repudiand. vendit.* ubi quando venditio fuit ultra dimidium justi pretii, datur electio venditori convento per emptorem deceptum, ut restituat excessum pretii, aut reddat rem illi: ubi supponitur valere venditionem, cum hac tamen venditoris electione: si enim non valeret, non contingit, quando dolus dat causam contractui, posset emptor nolle stare illa. Quæ lex procedit etiam in commutationibus. Ut tradunt *Pinellus ea l. In paro.* 1. *cap.* 3. *num.* 17. *Antonius Gomez secundo tomo variarum cap.* 2. *num.* 22. *Molina tomo secundo de justitia*, *disputatione* 349. *columna octava*, *versic. Prædicta locum habent*. Et est hodie decisum in *regia lib.* 1. *tit.* 11. *lib.* 5. *recopilat.* Ergo a fortiori idem est dicendum in commutatione voti, quæ est contractus initus a vovente cum prælato nomine Dei. Secundò probatur ex *l. Diligenter* 5. *ff. mandati*, ubi postquam dicitur fines mandati diligenter servandos esse, ut actus virtute illius a recipiente mandatum gestus valeat: adjungitur valere venditionem virtute ejus factam, quando excessus mandati fuit in solo modo, eò quòd minori vendiderit pretio, quàm jussus fuit, ibi: *Si mandavero tibi, ut fundum meum centum venderes, tuque eum nonaginta vendideris, & petam fundum, non stabit mihi exceptio, nisi, & reliquum mihi, quod deest mandato meo, præstes, & indemnem me per omnia serves.* Ecce quàm clarè textus dicat superesse solum jus domino, ut sibi reddatur res, aut suppleatur pretium, ad alterius electionem. Ergo etsi prælatus commissionem Dei habeat ad commutandum bonum in rem æqualem, & ille excedat fines mandati, commutando in minus, solùm Deo superest jus ex priori voto, ut illud impleatur, aut suppleatur, quod ad æqualitatem deficit, prout vovens elegerit: & sic non erit commutatio irrita. Tandem si esset justa commutandi causa, fatetur *Suarez*, puram commutationem factam in minus, valere partialiter, cum sola supplendi ad æqualitatem obligatione. Ergo idem dicendum est, etsi causa deficiat. Quia defectus causæ (ut ex *ipsemet Suarez* retuli *numero præcedenti*,) non pertinet ad vitiandum commutationis valorem, sed ad potestatis abusum. Et confirmatur, quia idem est jus de toto quo ad totum, & de parte quo ad partem, *lib. Quæ toto ff. rei vindic.* Ergo si valet commutatio quo ad totum, quando servatur æqualitas, etsi desit justa commutandi causa: valebit etiam quo ad partem, in qua est æqualitas cum materia, etsi adsit defectus causæ.

9 Tertia conclusio. Idem prorsus dicendum est, quod diximus *duplici conclusione præcedenti*, de prælato commutante, quando non ipse prælatus, sed ejus delegatus commutat. Quia eædem prorsus militant rationes, sicut enim hic non habet potestatem a prælato delegante, nisi ad commutandum in bonum æquale, & ex justa causa, ita ipse prælatus accepit ordinariam commutandi potestatem à Deo.

10 Quòd si petas, an opus sit adire prælatum, ut eum defectum suppleat. Dico id non esse necessarium, sed poterit quilibet supplere absque novo prælati consensu. Quia jam prælatus quantum in se est, consensit commutationi. Atque ita fatetur *Suarez eodem l.* 6. *c.* 20. *n.* 7. quando commutatio fuit in minus, cum causa ad commutandum: quia quando deest causa, negat ipse posse suppleri. At tenendo nobiscum posse suppleri, dicendum est idem. Quòd eadem prorsus militet ratio. Hoc autem supplementum non est necessariò faciendum usque ad evidentem, & mathematicam æqualitatem, sed usque ad eam, ad quam prælatus tenebatur, quæ est moralis, ut explicuimus *c. praced. n.* 6. & 7. Quia solùm est ad supplendum id, in quo defecit prælatus, & tota commutatio censetur ab eo facta. Quare sicut ab eo facta in rem moraliter æqualem esset valida, juxta dicta *numero septimo* etsi causa deficeret, erit quoque valida, suppleta ea æqualitate per alium, quicumque ille sit, etiamsi sit ipse vovens.

11 Ultima conclusio. Quamvis commutatio voti sit facta propria auctoritate, aut alterius carentis jurisdictione in bonum æquale, aut in minus, non est omnino irrita, sed tenetur vovens vel prius votum implere, vel supplere, quod commutationi defuit, ut esset in bonum videntur melius. Ducor, quia si rem venditioni quinquaginta aureis expositam à domino in platea quispiam furaretur, aut doloso daret domino quadraginta existimanti esse quinquaginta, satisfaceret suæ conscientiæ in priori casu restituendo domino quinquaginta, in posteriori supplendo decem, quæ deerant. Et in priori casu nulla fuit commissio ad vendendum: dominus enim non vendidit, sed furto res ablata est. In posteriori autem defuit voluntas vendendi eo pretio. Et ratio utrinque est, quia in utroque casu defuit voluntas domini quo ad solum modum, cum adfuerit expressus consensus quo ad venditionis substantiam. Quod idem contingit in nostro casu. Nam Deus re vera paratus est ad acceptandam voti commutationem factam à quocumque: & quando sit propria auctoritate in rem æqualem, aut minorem est invitus quo ad solum modum, & partialem solutionem. Ergo verè satisfit Deo supplendo, quod deerat. Quippe aliàs rigorosior exactor esset Deus, quàm homines. Contra id quod diximus *num.* 8. Et confirmatur, quia similiter quando prælatus commutat in minus, excedit suæ potestatis limites, & tamen quia quo ad solum modum excedit, valet supplendo, quod deerat. Ut probavimus *n.* 8. Tandem quia opus id minus in commutationem susceptum non præstat gratiosè ille commutans, sed in voti commutationem, ac proinde intendens se voto ad id obligare, loco prioris. Ergo admittendum est tamquam partialis solutio voti.

12 Quare sufficiet tunc propria auctoritate supplere, quod ad euidenter melius deficiebat: aut ut gaudens commutandi potestate commutet partem voti, quæ supereat ultra illam, quæ correspondebat meliori euidenter materiæ subrogatæ, in qua parte prior commutatio valuit. Sicut idem contingit inter homines, quando in sola pretii, aut rei commutatæ æqualitate versatur injustitia.

13 Ex his deducitur primò, non peccare contra votum commutatum in minus, qui id violat animo supplendi, quod ad justam commutationem deerat, secùs si eo animo careat. Quia à commutationis tempore non tenetur præcisè ad votum, sed ad illud, aut ad supplendum, quod deerat. Ergo satisfacit animum supplendi habens. Sicut rem venditioni expositam certo pretio furans, non peccaret postea utens re illa, cum proposito reddendi statim justi pretii domino perseveranti in eadem vendendi eo pretio voluntate.

14 Secundò deducitur, qualiter peccet commutans votum absque legitima causa, aut in minus, aut in rem æqualem. *Suarez tomo* 2. *de religione*, *tractatu de voto*, *lib.* 6. *cap.* 19. *numero* 14. ait prælatum commutantem votum in rem æqualem absque juxta causa peccare grauitet. Idque probat, quòd excedat in sua potestate, & faciat actum de se nullum, atque ea remissio satisfaciendi Deo in eadem

dem materia promissa sit invalida, & ideò sit abusus potestatis in re gravi, nec reddat subditum in conscientia tutum. Addit autem ferè semper excusari prælatum, eo quòd parva causa satis sit. Et quamuis non explicet, qualis culpa sit illa, rationes quibus innititur, probant esse mortalem. Atque *idem Suarez eodem numer.* 14. ait commutantem propria auctoritate votum in rem euidenter æqualem, peccare mortaliter, nisi ignorantia excusetur adhærendo opinioni dicenti id licere. Quia etsi appareat modicus defectus, cum reddatur æquale; at quia nil prorsus facit, cum maneat tota voti obligatio, peccat mortaliter habens animum non implendi illud, quamvis animum materiæ subrogatæ exequendæ habeat.

15 Verum existimo solam venialem culpam incurri à prælato commutante votum in rem æqualem absque justa causa. Quia commutatio illa valeat, (ut diximus *numer.* 8.) & abusus potestatis est in re levissima, modicumque detrimentum ex ea cultui divino infertur. Cum commutatio hæc levissimam causam petat. Ut diximus *c. praced. numer.* 22. Et ita videtur sentire *Suarez* alleg. *numer. præced.* quia in eodemmet loco dicit priùs subditum commutantem in rem æqualem peccare mortaliter, & statim subdit prælatum sic commutantem absque justa causa peccare graviter, nec expressit id esse mortale.

16 Nec etiam subditus erit culpæ mortalis reus, sed solius venialis, si votum suum commutet in rem euidenter æqualem. Quia est insidelitas in re modica, quæ deficit, ut res illa sit melior. Sicut veniale quid modicum materiæ promissæ omittere. Sicut etiam sola venialis culpa esset in fure, qui rem venditionis expositam quinquaginta argenteis furans, restitueret paulò minus justo illo pretio, ut dimidio argenteo minus. Quia sicut furtum illius paruæ quantitatis minoris dimidio argenteo non esset mortalis ratione paruitatis materiæ, ita nec omissio restitutionis illius. Nec obstat ratio contraria allata *nu.* 14. Quia eam commutationem valere probauimus *nu.* 11. Et ita docent *Petrus de Ledesma 2. tomo summa, tractatu 10. c. 8. in fine tertia partis*, ubi agit de commutatione votorum *post tertium dictum, versic. Pero la tal comutacion.*

17 Quòd si petas, an præsumenda sit dispensatio admixta commutationi, quando consultus vir doctus aut confessarius, repetit commutationem factam sistendo intra illius limites esse illegitimam, eo quòd manifestè sit in rem minorem. Sic distinguendum existimo. Si commutans, fuit vir doctus, potest jure optimo præsumi commutatio ritè facta, adjunctamque esse dispensationem, ac illum habuisse eam dispensandi partim potestatem. Quia non præsumitur virum doctum ignorare rem tam claram, nec voluisse malè consulere. Si autem non constet de ea scientia; ut communiter contingit, & expressit se commutare virtute Bullæ, aut Jubilæi, præsumenda est illegitima commutatio. Quòd hæc nil circa votorum dispensationem, sed meram illorum commutationem indulgeant. Si non expressit, cujus virtute commutarit, nec causam interrogavit, præsumitur etiam illegitima. Quia si dispensaturus esset, causam utique examinaret ad ejus valorem requisitam. Si autem causam examinavit, & erat ex religiosis fruentibus privilegiis Mendicantium, qui possunt commutare, & dispensare, est præsumenda dispensatio admixta illi commutationi. Atque ea similiter est præsumenda, quando ille erat sæcularis, & sic carens potestate dispensandi, at dixit consulendum à se prælatum, aut ita distulit responsum, ut eo medio tempore posset illum consulere, atque causam examinavit, vel illius erat conscius: his autem deficientibus non præsumeretur. Tandem si omnibus hinc inde pensatis, res manet in æquilibrio, & æquè dubia est possessio pro priori voto; cum de mala commutatione illud solutura consistet, sistendo intra limites commutationis.

18 Quare quando juxta predicta reperitur commutatio illa facta illegitimè, ratione ejus inæqualitatis, nec præsumitur admixta dispensatio, non est obligandus absolutè ad prius votum ille, cui sic commutatum est, sed supplendum est, quod defuit modo, quem *n.* 10. explicuimus, nisi malit ille prius votum implere. Quòd si votum illud fuerit diuisibile, poterit si supplementum nolit, implere solam illam partem, quæ excedit materiam subrogatam. Quia perinde est ac supplere, quod deerat.

19 Tandem quando dispensatio cum aliquali causa sufficienti ad dispensandum, non absolutè, sed commutatione admixta est facta, & constat de insufficientia causæ, non est judicanda irrita, sed valebit tamquam partialis dispensatio: & ideò satis erit supplere injungendo aliquam partialem commutationem majorem, vel minorem, attentis majori, vel minori causæ merito ac voti dignitate. Sicut si œconomus jussus à domino remittere totum debitum, existente tali paupertate in creditore, & solam illius partem, quando minor paupertas esset, remitteret totum in hac minori paupertate, valeret utique remissio partialis, & satisfieret domino soluendo aliam partem, quæ remitti nequit. Quia ad partialem illam dispensationem nil defuit, sicut nec ad partialem illam remissionem. Et sic docet *Suarez tomo 2. de religione, tractatu de voto, l. 6. c. 17. n.* 20.

20 Ad argumenta contraria respondetur. Ad id, quod propositum est *num.* 4. constat ex dictis *numer.* 8. non enim exceduntur omnino limites potestatis, sed quo ad partem, & ita supplendo illam satisfit. Ad primum ex propositis *nu.* 5. constat ex dictis *num.* 11. ubi probauimus illam materiam subrogatam non gratiosè præstari: & esse potestatem ad offerendam illam tamquam partialem solutionem, & ita à Deo acceptari. Ad secundum est eodem modo respondendum. Ad confirmationem dic, tunc non constare de actuali voluntate domini vendendi rem illam, at si constaret, satis esse supplere pretium. Ut *nu.* 11. explicuimus. Ad ultimum dic, votum rei indiuiduæ esse diuisibile quo ad æstimationem materiæ, in quam commutari debet, & ita satis esse supplere, quod ad rectam æstimationem deficit: quod etiam in voto rei divisibilis fieri potest: aut potest votens facere, qood diximus *nu.* 18.

CAPUT LII.

Ad quæ vota commutanda extendatur ordinaria prælatorum potestas, & cum quibus subditis?

SUMMARIUM.

Gaudentes ordinario commutandi potestate, possunt commutare omnia vota, in quibus possunt dispensare, n. 1.
An vota quinque Pontifici reservata, possint ab eis commutari? n. 2.
An hæc valeant commutari in opera manifestè meliora, præter religionem? Refertur quædam sententia, n. 3.
Explicatur sententia Auctoris, n. 4.
An possit unum reservatum in aliud reservatum evidenter melius præter religionem, commutari? n. 5.
An possint hæc commutari in votum religionis? n. 6.
An votum religionis strictioris possit commutari in perseuerantiam in laxiori? Remissiue n. 7.
An vota facta in fauorem tertii, aut interna, possint commutari? Remissiuè n. 8.
An possint commutari potestate ordinaria, aut delegata per priuilegia religionis, Bullam, aut Jubilæum, vota pœnalia quo ad pœnam pecuniariam ex eorum violatione incursam: et eam contedente Pontifice facultatem commutandi ejus voti, illoque remittente partem pœnæ debitæ, & obligante ad alteram partem soluendam? Refertur quædam sententia, n. 9.
Explicatur sententia Auctoris; & circa pecuniam debitam ex votis absolutis, nec solutam, n. 10. 11. & 12.
An ex sola voti illius commutatione, aut dispensatione, censeantur pecunia illa jam debita commutari, aut in illa dispensari? num. 13.
Quid, si petatur commutatio aut dispensatio illius voti, quo ad omnia præterita, & futura, tacendo commutationem Papæ? n. 14.
Qualis subjectio ex parte eorum, quibus vota computandæ sunt, exigatur tam in regularibus, quàm in sæcularibus, ut prælati voleant eorum commutare vota? n. 15.
An possint vota subditorum ipsis inuitis commutare? Remissiuè n. 16.

1 DUplex est tractanda difficultas. Prior de votis subditorum, quæ potestate ordinaria prælatorum commutari valent. Posterior, de subjectione ad id petita. Circa priorem, constat eos posse omnia subditorum vota commutare, sive sæcularium, sive regularium, in quibus dispensare possunt. Id constat ex regula generali tradita *c. 19. n.* 28. ut facultas ordinaria dispensandi in votis extendatur quoque ad ea commutanda. Quæ autem sint vota in quibus dispensare valeant, explicuimus *c.* 40. 41. & 42.

2 Vota autem Pontifici reservata quo ad eorum dispensationem, quæ explicuimus *eo c.* 40. *a nu.* 6. sunt etiam reservata quo ad eorum commutationem. Quod universi fatentur. Et constat ex usu ecclesiæ, quia in privilegiis ad solam commutationem concessis per Bullam, aut Jubilæum, aut alia religionis, solent hæc omnia, aut aliqua illorum excipi. Et quia in *extrauag. Etsi Dominici, la 2. de pœnit. & remiss.* ubi horum votorum reservatio supponitur, est sermo de eorum commutatione. Et ratio est, quia ob horum votorum gravitatem voluit Pontifex ea in propria specie solvi, nisi aliud ipse indulserit. Poterunt tamen prælati ea commutare in omnibus illis casibus; in quibus posse in eis eos dispensare, diximus *eo c.* 40. *a n.* 24. *usque in finem.*

3 Controvertitur autem inter Doctores, an hujusmodi commutationis reservatio amplectatur eam, quæ fit in opera manifestè meliora. Quidam amplecti negant, dicuntque posse sic commutari. Quòd cum commutatio hæc cedat in majorem Dei cultum, nec aliquo jure humano nitatur, sed ipsa rei natura, non censetur a Pontifice impediri; id enim videtur contra bonos mores, utpote quod meliori bono obstat. Ita docent *Aragon. 2. 2. qu.* 88. *art.* 12. *dub.* 1. *in corollario, quod infert ex tertio dicto, Sayro in clavi regia, lib.* 6. *c.* 12. *n.* 14. *Valentia* 2. 2. *disput.* 6. *qu.* 6. *puncto* 7. *col.* 9. *versic. Hæc ipsa ratione.*

4 Verùm existimo, quòd id fieri non possit. Quia jure optimo potuit Pontifex in his votis gravioribus hoc sibi judicium reservare, an expediat illa commutari; ac subinde ex quo sibi reservavit, tollitur inferioribus qualiscumque ea commutandi facultas. Nec hoc bonis moribus adversatur, non enim simpliciter interdicitur majus bonum sed præscribitur modus illius eligendi loco materiæ Deo promissæ nem-

nempe ex licentia Pontificia. Atque ita docent *Sotus l. 7. de just. q. 4. art. 3. col. 4. vers. At verò quando, Suarez tomo 2. de relig. tract. de voto, l. 6. c. 22. nu.* 17. Atque indistinctè hanc reservationem docent *Tabiena verb. Dispensatio, q. 9. n.* 11. *Leonard. l. 2. de just. c. 40. dubio* 13. *nu.* 104. *in fine, Azor. tomo 1. instit. moral. l.* 11. *c.* 18. *q.* 4.

5 Nec unum reseruatum potest in aliud reservatum evidenter melius commutari, præter religionem. Ut votum peregrinationis Compostellanæ nequit absque Pontificis licentia commutari in Romanam, aut Hierosolymitanam, aut in castitatem. Quia cum Pontifex hanc sibi commutandi facultatem absolutè reservarit, præcluditur inferioribus aditus ad hæc, etiam inter se ipsa, commutanda. Et ita docet *Suarez eodem c.* 21. *nu.* 17. & 18. *in fine.*

6 In votum autem religionis possunt omnia illa commutari. Ut constat ex *c. Scriptura de voto*, ubi dicitur sic: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis observantiam commutare.* ubi cautè dicitur: *In perpetuam religionis observantiam*; quia non est intelligendum de voto religionis quocumque, non enim quodcumque dicitur perpetua religionis observantia, sed loquitur textus de assumptione status religiosi per professionem. Quare hæc commutatio non fit ab homine, sed jure ipso statuente omnia vota extingui professione religionis. Ut latiùs explicabimus *lib. seq.* tractantes de professionis privilegiis. Ex quo fit, posse quidem suspendi vota peregrinationis reservata per ingressum ad experientiam religionis capiendam, siue voto illius emisso, siue absque illo: at talia vota non extinguuntur per illam commutationem, aut votum. Quam ob rem si tempore novitiatus exeat ille, aut cum eo dispensetur in voto religionis, aut ab eo excusetur, tenebitur aliud votum reservatum exequi. Quæ optimè docet *Suar. eo c.* 21. *nu.* 18.

7 An verò votum religionis strictioris possit commutari in votum perseverantiæ in laxiori; diximus *hoc libro 4. cap.* 16.

8 Utrum etiam vota facta in favorem tertii possint absque illius consensu commutari; diximus *cap.* 41. *à numer.* 6. *usque in finem.* Et quid de votis internis; diximus *cap.* 20. *num.* 40.

9 Restat dubium, an possint commutari potestate ordinaria, vel delegata per privilegia religionis, bullæ, aut jubilæ, aut alia, vota pœnalia, quo ad pœnam pecuniarum ex eorum fractione incursam, quamuis concesserit Pontifex facultatem commutandi illius voti, & remiserit partem illius pœnæ pecuniariæ debitæ obligando ad partem residuam solvendam. Ut si quis vouit se non lusurum sub pœna erogandi decem aureos pauperibus, quotics luserit; & sæpè fregit, & ideò est multorum aureorum debitor ex illa voti violatione: *Azor. tomo* 1. *instit. moral. l.* 11. *c.* 18. *qu.* 11. *in fine*, ait posse votum commutari, quod in futurum refertur, in eoque dispensari per dicta privilegia commutandi, aut dispensandi; secùs autem de ea pecuniæ parte, quàm à Pontifice ille jussus est soluere. Quare in prioribus illis verbis videtur sentire non posse commutari pœnam pecuniariam ex illius voti fractione debitam. Atque hoc expressè tenent *Nav. l.* 3. *cons. tit. de voto, in priori edit. toto cons.* 35. *in posteriori, toto cons.* 32. *Graffis* 1. *p. decis. l.* 2. *c.* 28. *n.* 5. *Sayro in clavi regia, l.* 6. *c.* 12. *nu.* 20. *versic. Præter hæc, in fine.* Probatque *Nav.* quòd hæc privilegia solius voti commutationem indulgeant. At aliud est commutare votum, & commutare pœnam ex illius fractione debitam, & ideò potest unum absque alio auferri. Insuper, quia hanc pœnam non produxit votum, sed ejus violatio.

10 Sed dico primò pœnam pecuniariam, & quamcumque aliam debitam ex fractione voti pœnalis, & eleemosynam quoque debitam ex voto absoluto violato, posse remitti per potestatem ordinariam, aut delegatam dispensandi in votis, & commutari per potestatem ordinariam, aut delegatam commutandi vota, qualis conceditur per privilegia religionis, bullam, aut jubilæum. Exemplum prioris partis sit, ut si quis vouit se non lusurum, sub pœna dandi decem aureos, & debet centum pauperibus pro qualibet vice decem aureos, & debet centum aureos, eò quòd decies fregerit ludendo. Exemplum posterioris, ut si quis vouit se daturum quolibet mense decem aureos pauperibus, & omisit dare decem mensibus, & sic est debitor ex voto illo absoluto violato, centum aureorum. Dicimus ergo non tantùm posse commutatione, & dispensatione, tolli utrumque votum quo ad obligationem futuram, sed etiam quo ad illam præteritam solvendæ illius pecuniæ obligationem. Quia tota illa obligatio solvendi pecunias illas in utroque eventu, est ex voto, quod ab initio obligauit ad illas, aut absolutè, aut eveniente ea conditione. Ergo potestas dispensandi in eo voto extendit se ad pecunias jam debitas, vel in posterum debendas: & similiter de potestate commutandi. Et ita sustinui latiùs probans *l.* 8. *de matrim. disp.* 15. *nu.* 14. *& Suarez* docet idem *tomo 2. de relig. tract. de voto, l.* 6. *c.* 20. *nu.* 19.

11 Secundò dico, non obstare huic potestati Pontificem vouenti illi commutasse partem pœnæ, injungendo ut alteram partem solveret. Quia adhuc manet reliqua pœnæ pars ex solo voto debita; nec enim Pontifex novum illius præceptum imposuit, & ita non solvens non erit reus præcepti Pontificii violati, sed solius voti, quo ad eam tenebatur, sed solùm illam partem pœnæ non commutavit. Ergo per potestatem ordinariam aut delegatam dispensandi in votis, aut illa commutandi, potest illa tolli dispensando aut commutando. Et ita tenui *eodem loco*. Et docet *Suar. eodem c.* 20. *n.* 20. Imò, cum solus Deus, cui votum factum est, sit creditor illius eleemosynæ, poterit ea commutari propria vouentis auctoritate in rem evidenter Deo gratiorem. Juxta ea, quæ diximus *c.* 41. *n.* 8. ubi probauimus vota hujusmodi posse ita commutari.

12 Tertiò dico, Pontifice concedente limitatam facultatem confessori, commutandi id votum, relicta illa obligatione soluendæ partis pecuniæ jam debitæ; nequiret confessor ille eam commutare; non quidem eò quòd illa pœna sit à Pontifice imposita, aut quia non debeatur ex voto sed quia potestas fuit limitata. Et ita tenui *eodem loco*. Et docet *Suar. eodem c.* 20. *nu.* 18.

13 Quartò dico petita solùm commutatione, aut dispensatione voti pœnalis, aut absoluti erogandæ eleemosynæ, non extendi commutationem, aut dispensationem ad eleemosynam illam jam debitam, sed oportere ea petere quoque circa jam debitam. Quamuis enim in dispensatione, aut commutatione voti personalis, non requiratur explicare materiam omissam, & similiter in voto reali, ut integra censeantur dispensatio, & commutatio, quando fractio voti nullum implendæ obligationis quo ad materiam omissam onus reliquit, utpote, quæ erat in honorem temporis, & ut onus illius; at secùs est, quando materia omissa adhuc obligat. Quia votum absolutè propositum sic facienda quotidie eleemosyna, aut non ludendi sub tali pœna, solùm apprehenditur, ut ex nunc obligans in futurum; quare ut talia vota commutentur, quo ad utramque partem, nempe præteritam, & futuram, oportet ea distinctè proponi. Et ita tenui *eadem disp.* 15. *num.* 14. & docet *Suarez eodem c.* 20. *nu.* 21.

14 Ultimò dico, quamvis taceatur commutatio illa facta à Pontifice, valere dispensationem, & commutationem totius voti distinctè propositi quo ad præterita, & futura. Quod ad hæc non referat illa circumstantia, potest enim ille priori commutatione cedens, ita habere, ac si illam non impetrasset. Ita docet *Suarez eo cap.* 20. *in fine.*

15 Posterior difficultas est de subjectione petita ad commutandum. Qua in re est regula. Eadem prorsus subjectio exigitur in iis, quorum vota commutanda sunt, quæ exigitur, ut in eorum votis dispensetur. Quare iis solis, cum quibus prælati possunt dispensare in votis, possunt ea commutare. Quia cum uterque actus sit ejusdem jurisdictionis spiritualis in utroque foro, eamdem subjectionem postulat. Quod universi fatentur. Qui autem respectu dispensationis censeantur subditi, & prælatorum sæcularium, & regularium, satis diximus *c.* 27. *a num.* 23. *ad* 28. *& c.* 39. *a nu.* 2. *usque ad* 22.

16 An verò possint prælati commutare vota subditis nolentibus, & invitis, dixi *c.* 24. *num.* 27.

CAPUT LIII.

De extensione facultatis delegatæ commutandi vota, ad dispensandum, vel è contra, & ea commutandi vota, aut dispensandi ad juramenta soli Deo præstita, sive sola sint, sive conjuncta votis ejusdem rei; & tam ad præterita, quàm ad futura.

SUMMARIUM.

Quot quæstiones disputandæ sint? nu. 1.
An potestas commutandi vota, aut juramenta extendatur ad dispensandum in eis, quando est delegata? num. 2.
An è contra delegata dispensandi in eis potestas extendatur ad ea commutanda? Refertur quædam sententia, nu. 3.
Explicatur sententia Auctoris, & soluuntur contraria, nu. 4.
An saltem extendatur ad partim dispensandum in eis, & partim commutandum; num. 5.
Post. num. 5. *invenies alia summaria.*

1 HactenUs de ordinaria commutandi vota potestate egimus, jam est agendum de delegata, qualis committitur per bullam, & jubilæum, & privilegia religionis, & alia similia. Atque in *hoc c.* tractamus in genere quædam communica triplici illi privilegio, & cuicumque simili: in sequenti autem tractabitur specialiter de singulis eorum. Quadruplex est disputanda quæstio. Prima, de extensione facultatis commutandi ad dispensandum, vel è contra. Secunda, de extensione facultatis delegatæ ad vota, ad juramenta Deo præstita. Tertia, de extensione ejusdem ad vota juramento conjuncta. Ultima, de extensione ejus ad vota emissa, & in posterum emittenda.

2 Quæstio prima. An delegata commutandi vota facultate extendatur ad dispensandum in eis, & è contra delegata dispensandi ad commutandum. Hæc in re constat inter utriusque sententiæ Doctores, delegatam commutandi facultatem, nullatenus extendi ad dispensandum. Quia cum commuta-